

<LIBER SECVNDVS SENTENTIARVM>

Est Deus in celo reuelans mysteria. Sicut dictum fuit a principio nomine celi designatur causa finalis sacre scripture, generaliter et specialiter materia Secundi Libri Sententiarum, quod potest sic
5 uideri. In secundo enim libro agitur de tribus principaliter, scilicet de creaturarum productione, de earum distinctione, et de aliquarum deuitatione, seu exorbitatione per culpam. Et hec conuenienter signantur nomine celi, secundum tria que in celo possumus considerare, habet enim celum capacitatem pre omnibus,
10 diuersitatem in partibus, difformitatem in motibus. Generalis capacitas facit, ut celi productio significet uniuersorum productionem. Nomine enim continentis sepe significantur contenta. Partium diuersitas representat creaturarum distinctionem. Sed motuum diuersitas aliquarum significat deuitationem. Dico primo
15 quod celum habet capacitatem pre omnibus. Nihil enim in corporalibus est celo capacius. Continet enim omnia, quod innuit Salomon II P a r a l . 6 arguens a maiori sic: *Si celum et celi celorum te capere non possunt*, que tamen sunt summe capacitatis, *quanto magis domus hec?* Et ideo per productionem celi omnia continentis et
20 ambientis uniuersorum productio designatur. De hoc H e s t e r 13 [sic]: *Tu fecisti celum et quicquid celi ambitu continetur*. Secundo celum habet diuersitatem in partibus. Est enim quedam pars ipsius

16 quod ... 19 hec] II Paral., 6, 18

20 De ... 21 continetur] Esth., 4, 17d

totaliter lucens (ut sol) quedam omnino non lucens (ut pars celi non stellata) quedam partim lucens, et partim non lucens (ut luna que nunquam secundum se totam lucet). Sic in uniuersitate creaturarum 25 est quedam creatura pure spiritualis, et hec es quasi omnino lucens. Nomen enim lucis ad cognitionem transferatur, et talis est angelus. Est et alia pure corporalis, quasi nihil lucens, eo quod caret cognitione. Et est alia partim corporalis, et partim spiritualis, quasi secundum quid lucens, et secundum quid non lucens, ut homo. De 30 prima agit MAGISTER a secunda distinctione usque ad duodecimam. De secunda a duodecima usque ad sextamdecimam. De tertia a sextadecima usque ad finem. Et sicut pulchritudo celi resultat ex diuersitate istarum partium, sicut apparet intuenti celum. *Suspice enim celum et intuere*, I o b 35. Sic pulchritudo uniuersi resultat ex 35 supradictarum creaturarum distinctione, ad commendationem et gloriam creatoris. Sic enim *celi enarrant gloriam Dei*, ut in P s a l m o dicitur: *Nunquid ergo nosti ordinem celi?* I o b 38 Ecce MAGISTER docet hunc ordinem et distinctionem. Tertio, celum habet difformitatem, ut in motibus, est enim ad presens duplex motus in 40 celo. Vnus regularissimus, qui est diuinus, et alius quasi oppositus huic, et respectu ipsius obliquus. Per hos autem duos motus significatur conuersio, et auersio creature. Per primum enim, qui est regularissimus, significatur conuersio bonorum angelorum ad Deum, ex qua fuerunt illuminati, et conformati in gloria. De quo E c c l . 42: 45 *Species celi in uisione glorie*. Per secundum, qui est obliquus, significatur deuiatio angelorum et hominum a Deo, ratione cuius

34 *Suspice ... 35 intuere*] cf. *Iob*, 35, 5

37 *celi ... Dei*] cf. *Ps.*, 19 (18), 2

38 *Nunquid ... celi*] cf. *Iob*, 38, 33

46 *Species ... glorie*] cf. *Eccl.*, 43, 1

obtenebrati sunt secundum illud *H i e r e . 4: Aspexi celos, et non erat lux in eis*. Et iterum *I o h e l 2* dicitur: *Moti sunt celi* (homines scilicet
 50 et angeli) per electionem. Sol et luna obtenebrati sunt, sol quantum ad angelicam naturam, luna quoad naturam humanam. Et de utroque agit *MAGISTER* scilicet de peccato angelorum, et de peccato primorum hominum, et hominum, et occasione horum de omni peccato generaliter. Et quia peccatum hominum fuit remediatur per
 55 gratiam, ideo incidentaliter agit *MAGISTER* de gratia, per quam spiritus sanctus celum obtenebratum illuminavit, de quo potest intelligi illud *I o b 26: Spiritus eius ornauit celos*, in presenti quidem per gratiam, sed in futuro ornabit per gloriam, quam nobis concedat, et cetera. |

π125vb

<DISTINCTIO PRIMA>

[1] Creationem rerum insinuans, scriptura et cetera. In hoc secundo libro principalis intentio *MAGISTRI* circa tria uersatur scilicet circa rerum creationem, creationem creaturarum, dotationem siue
 5 perfectionem, et creature sic dotate conuersionem, siue auersionem. Et secundum hoc iste liber diuiditur in tres partes. Primo enim determinat de creaturarum productione. Secundo spiritualiter de creature rationalis dotatione. Tertio de eius auersione. Secunda pars incipit ibi in principio 29 [sic!] distinctionis. Solent queri plura de

48 illud ... 49 eis] *Iere.*, 4, 2349 Iohel ... celi] *Joel*, 2, 1057 Spiritus ... celos] cf. *Iob*, 26, 13

hominis statu ante peccatum. Tertia in principio 21 distinctionis 10
 uidens igitur Diabolus hominem. Prima igitur diuiditur in duas.
 Primo determinat quedam pertinentia ad rerum omnium creationem
 in generali. Secundo prosequitur de quibusdam creaturis in speciali.
 Secunda incipit ibi in principio distinctionis 2 De angelica itaque
 natura. Prima diuiditur in duas. Primo inquit creationis principium. 15
 Secundo creationis motiuum. Secunda ibi, Credamus igitur rerum
 creatarum. Prima diuiditur in partes tres. Primo confirmat auctoritate
 scripture creationem rerum habuisse principium. Secundo ostendit ex
 illa auctoritate plures errores elidi. Tertio ostensum concludit.
 Secunda incipit, His etenim uerbis. Tertia, horum igitur et similium. 20
 Secunda istarum diuiditur in tres partes. Primo enim excludit
 errorem PLATONIS. Secundo remouet quandam dubitationem. Tertio
 excludit errorem ARISTOTELIS. Secunda pars incipit ibi, Veruntamen.
 Tertia, ARISTOTELIS uero duo principia. Tunc sequitur illa pars,
 Credamus igitur rerum. Superius MAGISTER determinauit de 25
 creationis principio, hic uero determinat de creationis motiuo, et
 secundum hoc ista pars diuiditur in duas partes. Primo enim
 determinat de motiuo creationis. Secundo ex illo motiuo ostendit
 rerum distinctionem. Secunda pars incipit ibi, Et quia non habet.
 Hec secunda diuiditur in partes tres. Primo ostendit causam 30
 distinctionis rerum. Secundo mouet quandam incidentem
 questionem et ponit eius triplicem solutionem. Tertio epilogat circa
 determinata. Secunda incipit ibi, Solem esset queri. Tertia ibi, Ex
 premissis apparet. Prima istarum diuiditur in quatuor partes. Primo
 ponit rerum distinctionem. Secundo ex hoc ostendit causam 35
 productionis creature rationalis. Tertio addit aliqua et determinat
 ostensum. Quarto remouet quoddam dubium. Secunda pars incipit

ibi, Ideoque, si queretur. Tertia ibi, Cum igitur queritur. Quarta ibi, De homine quoque. Et hec est diuisio lectionis in generali.

40 [2] In speciali sic procedit MAGISTER, et proponit quod ex auctoritate *Genesiss* qua dicitur in principio et cetera. Probatur creatio rerum in principio temporis non ab eterno esse facta. Deinde ostendit quod ex hoc eodem error est elisus ponentium plura principia, quorum fuit unus ipse Plato qui plura principia posuit ab
45 eterno increata, et sine principio, nec concedit rerum creationem, sed potius dicit ex materia factam. Quam positionem siue errorem excludit MAGISTER ex uerbo creandi, siue creare. Et ex hoc uerbo faciendi siue facere. Nam dicit quod creare est aliquid de nihilo facere, facere uero non de nihilo, sed de materia. Deinde ne aliquis
50 posset credere creationem temporalem aliquam mutationem in Deo ponere, dicit quod uerba temporalia dicta de Deo nullam mutationem ponunt in ipso, siue nouitatem, sed solum nouum effectum in creatura. Vnde eius operatio, factio, uel actio non dicitur proprie actio, quia per eam non agitur aliqua nouitas in agente, licet
55 sine Dei mutatione aliqua nouitas sequatur in effectum, sicut ex calore solis sequitur aliqua nouitas in effectibus inferioribus (ut puta aliqua nebula generatur nulla mutatione facta in sua causa scilicet in sole). Postea excludit opinionem seu errorem ARISTOTELIS qui ponit prima principia rerum materiam et formam, qui etiam mundum ponit esse
60 ab eterno. Vltimo concludit MAGISTER, et dicit quod istorum Philosophorum opinionem siue errorem scriptura euacuat, que dicit creationem rerum initium temporis habuisse. Vnde et subdit quod temporalis effectus non ponit mutationem in Deo, quia a sola

uoluntate eiusdem dependet. Consequenter in illa parte, credamus,
 proponit quod causa creationis iterum est sola bonitas creatoris 65
π126ra communicari uolens et potens, etiam dimi- | -nui non ualens. Deinde
 dicit quod quia perfecta bonitas in creatura est ut ei perfecte
 adiungatur, ideo fecit Deus rationalem creaturam, et sic distinxit ut
 pars corpori uniretur, et alia pars scilicet angelica in sua puritate non
 unita remaneret. Deinde ostendit quod homo, et uniuersaliter omnis 70
 creatura facta est propter Dei bonitatem. Vnde etiam subdit quod
 bonitas Dei est causa existendi creaturis, et quod ex ea sequitur
 bonitas creaturarum. Creauit enim Deus hominem ad se laudandum
 et sibi seruiendum, ex qua laude et seruitio homo potest perficere et
 perfici habet. Postea concludendo determinat quod creatura rationalis 75
 facta est propter Dei bonitatem et sui utilitatem. Vbi etiam addit
 quod mundus creatus est propter hominem, quia multa utilitas ex
 rebus aliis prouenit homini. Addit etiam quod non solum creature
 corporales, sed etiam ipsi angeli ad hominis perpetuum profectum
 faciunt, Deinde quia alicubi legitur in scriptura quod homo creatus 80
 sit propter ruinas angelorum, propter hoc subdit quod illa non fuit
 tota causa sed concausa. Postea querit qualiter anima sit coniuncta
 corpori, et dat de hoc causam triplicem. Primo quia sic Deo placuit.
 Secundo in signum future beatitudinis (unio enim spiritus cum carne
 representat possibilem fore unionem anime ad Deum). Tertio propter 85
 anime meritum, ut scilicet in corpore mortali maius meritum
 acquireret. Vltimo concludit quod circa omne genus creature uertitur
 sua intentio, scilicet circa spiritualem creaturam non unitam corpori,
 et circa corpoream pure. Et circa spiritualem corpori unitam. Et in
 hoc terminatur sententia et cetera.

<QVESTIO PRIMA
VTRVM creatio sit possibilis>

[1] Circa principium secundi libri Sententiarum, queritur primo de tribus in generali. Primum est de possibilitate creationis. Secundum
5 est de eius communicabilitate. Tertium est de actione et de intentione creantis. Adhuc circa primum queruntur tria. Primum est de possibilitate creationis absolute. Secundum utrum creatura habens esse permanens potuerit ab eterno produci. Tertium utrum aliquid successuum puta motus potuerit esse ab eterno, uel aliqua creatura
10 sub motu. Ad primum sic proceditur, et arguitur quod creatio non sit possibilis, quia actio essentialius respicit subiectum quam terminum dicente Auctore *S e x p r i n c i p i o r u m* quod actio non requirit quid agat, sed in quid agat. Est autem impossibile, et contradictionem implicans quod aliqua actio sit sine termino (Alioquin actio
15 esset ubi nihil ageretur) ergo impossibile est aliquam actionem esse sine subiecto. Cum igitur creatio dicatur esse sine subiecto, uidetur quod creatio non sit possibilis.

[2] Item creatio uidetur esse aliquid medium inter Deum creantem, et ipsam creaturam, sed constat quod non est substantia,
20 ergo est accidens. Omne autem accidens requirit subiectum, igitur et cetera.

[3] In contrarium est quod dicitur *M a c . 7: Peto nate ut aspicias in celum et terram, et inspicias uel intelligas* quod ex nihilo creauit ea
Deus.

12 Sex ... 13 agat¹] cf. *Liber sex princip.*, II, 21 (39,17); Aeg. Rom., *Report.*, II, 4 (198,4-5); Ioh. Pecham, *Quaest. disp. de etern. mundi*, I, 20 (566,3-4)

18 Item ... 21 cetera] cf. Thom., *Super Sent.*, II, I, 1, 2, arg. 4 (17)

22 Peto ... 23 intelligas] II *Mac.*, 7,28

[4] Responso. Circa questionem istam primo uidendum est quid 25
importatur per nomen creationis, quo uiso respondebitur ad
questionem.

[5] Quantum ad primum intelligendum est quod per creationem,
secundum quod nomen creationis communiter accipitur, importatur
actio per quam aliquid producitur ex nihilo. Hoc autem potest 30
intelligi tripliciter, uno modo materialiter, scilicet quod nihil sit
materia rei producte quod esse non potest, quia quod *nihil* est,
nullius potest esse materia. Inest enim materia rei facte tanquam pars
eius. Est enim materia *ex qua aliquid fit cum insit* ut dicitur I I
P h y s i c o r u m . Alio modo ordinabiliter ut sit sensus creaturas fieri 35
ex nihilo, id est, post nihil, ita ut maneat ordo affirmatiuus a nihilo
tanquam a termino a quo.

[6] Quem sensum licet quandoque doctores accipiant tanquam
uerum imaginantes quoquo modo licet improprie loquendo ens et
nihil esse terminos creationis, tamen proprie loquendo istud non est 40
uerum, propterea quod non est possibile terminos in actione in qua
π126rb non est subiectum commu- | -ne utrique termino nisi uterque
terminus sit positius (quod dico propter transubstantiationem panis
in corpore Christi). Cuius ratio est, quia necesse est in omni actione
habente terminos quod termini sint impossibiles et quod unus 45
necessario precedat alium (uidelicet terminus a quo terminum ad
quem) sed negatio uel priuatio non potest secundum se precedere

30 Hoc ... 37 quo] cf. Thom., *S.th.*, I, 45, 1, ad 3; *Super Sent.*, II, 1, 1, 2, sol. (18); cf. etiam
Super Sent., I, 5, 2, 2, sol. (157); Aeg. Rom., *Report.*, II, 4 (199,20-25)

32 nihil ... 33 materia!] Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb40va); cf. etiam Thom.,
S.th., I, 45, 1, arg. 1

34 Est ... 35 Physicorum] Arist., *Phys.*, I, 9, 192a30-31: transl. uetus

38 doctores] cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, II, 1, 1, 2, sol. (17-18); Duns Scot., *Lect.*, II, 1, 2
(20,10-15)

habitum natura uel duratione, cum secundum se et in se non sit aliqua natura, nec durationem habeat, ergo si aliquo modo precedit,
 50 hoc est ratione alicuius nature sibi subiecte, igitur in actione non habente commune subiectum sicut est creatio, ens et nihil non possunt esse termini, cum terminorum alter sit pura negatio.

[7] Item oportet quod uirtus agentis in omni actione attingat utrunque terminum, unus enim abiicitur et alter acquiritur, et
 55 utrunque fit uirtute agentis, et ideo oportet quod uirtus agentis utrunque attingat, uterque autem potest attingi, quando uterque est posituius, sed quando alter est posituius et alter est negatiuus, cum illud quod nihil est attingi non possit secundum se oportet quod attingatur ratione alicuius substrati quemadmodum sit in
 60 illuminatione aeris, cum de non illuminato fit illuminatus, et ubicunque alter terminorum est privatio, alter uero forma, nunquam enim attingi potest terminus negatus nisi ratione abstracti subiecti a quo expellitur priuatio per introductionem habitus. Cum igitur in
 65 creatione non supponatur subiectum commune, impossibile est quod proprie loquendo demus ei duos terminos scilicet ens et nihil.

[8] Relinquitur igitur tertium scilicet quod creatio dicitur esse de nihilo, solum negatiue, quia non est de aliquo nec in ratione subiecti, nec in ratione termini. Vnde sicut non habet subiectum, sic neque terminum ex quo, uel a quo sit. Non enim est motus uel *mutatio* que
 70 sunt, *a quodam in quoddam*.

[9] Hoc uiso dicendum est quod creatio est possibilis, hoc est, productio alicuius de nihilo modo quo expositum est. Quod probatur dupliciter. Primo modo sic, materia est aliquid productum,

66 Relinquitur ... 68 termini] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb40va)

69 motus ... 70 quoddam] Arist., *Phys.*, V, 1, 224b35-225a1: transl. Guillelmi

sed hoc non potest esse, nisi per creationem igitur et cetera. Minor patet, quia materia est ultimum subiectum propter quod ad eius 75 productionem non potest aliquid prius subiici. Probo maiorem, omne quod sibi derelictum esset non ens habet causam deducentem ipsum de non esse ad esse. (Alioquin nunquam esset ens, sed semper non ens) sed materia prima si sibi derelinqueretur, esset non ens, ergo habet causam deducentem ipsam de non esse ad esse. Talis autem est 80 sola causa agens, et cetera. Maior iam patet, minor satis est clara, quia materia prima non potest esse sine forma, igitur, et cetera. Si dicatur quod intro uirtute diuina, habetur propositum, quia si non potest esse sine forma, nisi Deo hoc faciente, ergo sibi derelicta non esset ens. 85

[10] Secundo sic, nulla productio supponit subiectum, nisi quatenus terminus productionis non potest esse sine subiecto, fieri enim ordinatur ad esse, sed Deus potest facere quod accidens sit sine subiecto (ut in sacramento altaris) ergo potest facere quod accidens fiat sine subiecto, sed tunc esset uera creatio, ergo et cetera. Et ratio 90 hec partim innititur fidei, et sic patet primum.

[11] Ad primum argumentum dicendum est per interemptionem maioris. Omnis enim actio realis est eadem cum suo termino, uel saltem illa que est sine motu, qualis est creatio. Et ideo essentialiorem ordinem habet ad suum terminum, quam ad subiectum. Quod 95 autem dicit Auctor *Sex principiorum*, quod actio non requirit quid agat, sed in quid agat, intelligendum est sic, quod actio naturalis de qua loquimur, que habet subiectum et terminum

96 Sex ... 97 agat²] cf. *Liber sex princip.*, II, 21 (39,17) Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68rb; Vb39vb)

supponit subiectum, tanquam aliquid preexistens, non autem
100 supponit terminum, sed producit.

[12] Ad secundum est dicendum quod creatio non est aliquid medium inter Deum et creaturam, sed est ipsamet creatura sub respectu uel denominatione respectiua ad dantem esse. Est enim creari idem quod habere esse ab alio secundum se totum.

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM CREATVRA HABENS ESSE FIXVM ET PERMANENS POTVERIT AB
ETERNO PRODVCICI>|

π126va

[1] Ad secundum sic proceditur, et arguitur quod creatura habens esse
5 fixum et permanens non potuerit ab eterno produci. *Omnis duratio inclusa inter duo nunc necessario est finita*, sicut omnis linea que est inter duo puncta, necessario est finita, *sed* omnis *duratio creature* necessario clauditur *inter duo nunc, ergo et cetera*. Minor probatur. Creatio enim cuiuslibet creature, necessario est in aliquo nunc. Non
10 est enim in tempore, quum sit subita, modo etiam est accipere aliqua duo nunc, inter que duo nunc tota duratio creature clauditur, ergo et cetera.

[2] Item creatura aut simul fit et facta est, aut prius fit et posterius facta est. Si dicatur quod prius fit et posterius facta est, eterna esse
15 non potest, quia haberet aliquid prius se duratione. Si uero simul fit et facta est, aut hoc erit uerum pro quolibet instanti, aut pro uno tantum. Non pro quolibet, quia nunc esset uerum dicere quod

mundus fit et factus est, creatur, et creatus est, quod uidetur inconueniens. Si pro uno nunc tantum, quum nullum nunc transiens, quemadmodum est nunc mensurans creationem, que 20 transit, sit eternum, impossibile est creaturam esse ab eterno.

[3] Item secundum PHILOSOPHV M I P e r i h e r m e n i a s: *Omne quod est quando est necesse est esse*, sicut sortem sedere quando sedet, ita quod pro tempore illo quo est, non est potentia ut non sit, nec ex parte rei, nec ex parte alicuius agentis. Et similiter quod fuit quando 25 fuit, necessario fuit. Quod autem est necessario isto modo non est neressario absolute, quia erat potentia in tempore precedenti, per quam ille actus potuit impediri. Ex hoc arguitur quod aliquando fuit, nec erat potentia precedens, per quam potuit impediri, tale necessario fuit necessitate absoluta, ita quod nulla est potentia, nec ex parte Dei, 30 nec ex parte rei quod illud non esset. Sed si ponatur creatura fuisset ab eterno nunquam fuit duratio precedens, ratione cuius existentia eius posset impediri, ergo ipsa fuit necessario necessitate absoluta, ita quod nec ex parte Dei, nec ex parte rei fuit possibile eam non esse. hoc autem est hereticum, quare et cetera. 35

[4] Item omnis creatura habet de se non esse, si ergo ab alio habeat esse, aut simul habebit utrunque (scilicet esse et non esse) aut prius non esse, quam esse. Non simul, quia implicat contradictionem, ergo prius habet non esse, quam esse. Aut ergo natura aut duratione. Si duratione habetur propositum scilicet quod non fuit ab eterno. Si 40 natura solum, ergo simul duratione, et pro eodem instanti, habet esse et non esse, quod impossibile.

22 Item ... 35 cetera] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 7 et 8 (40,20-42,57); cf. etiam Duns Scot., *Ord.*, II, 1, 3 (60,4-8); God. de Font., *Quodl.*, II, 3 (68); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68rb; Vb39vb-40ra)

Philosophvm ... 23 esse] Arist., *De interpr.*, 9, 19a 23-24; transl. Boethii

[5] Item uersio in nihilum opponitur creationi que est ex nihilo, sed omne annihilatum habet non esse post esse duratione, ergo omne
 45 creatum habet esse post non esse duratione, sed tale non potest esse
 eternum, quare et cetera.

[6] Item natura et duratione sunt idem in Deo, sed Deus
 necessario precedit res naturaliter, ergo duratione. Sed nihil habens
 aliquid prius duratione potest esse eternum, ergo et cetera.

50 [7] Ad idem est DAMASCENI liber IV cap. 9 qui dicit: *Non aptum
 natum est, quod ex non esse ad esse deducitur, coeternum esse ei quod est
 sine principio et semper est.*

[8] Et HVGGO DE SANCTO VICTORE libro I De sacramentis
 dicit quod *ineffabilis potentie uirtus non potest aliquid preter se habere*
 55 *coeternum.*

[9] In contrarium arguitur, quia *non minus est potens essentia
 diuina, quam persona. Sed persona diuina potest aliam personam
 diuinam coeternam producere, sicut et produxit, ergo essentia diuina
 potest aliam essentiam sibi coeternam producere, non nisi creando, ergo*
 60 *et cetera.*

43 Item ... 46 cetera] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68va; Vb4ora); Rich. de
 Mediau., *Super Sent.*, II, 1, 3, 4 (17b); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, I, 1, 1 (28rb)

47 Item ... 49 cetera] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 1, 1, 5, sed contra 9 (32)

50 Ad ... 52 est] cf. Thom., *De aetern. mundi* (89,257-260); *De pot.*, 3, 14, sed contra 2
 (80a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 1, 1, 4, 2, sed contra (57bA); ps.-Henr. de Gand., *Quaest.*, 4
 (40,177-179); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 1, 3, 4 (18b); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1
 (T68rb; Vb4ora)

Non ... 52 est] Ioh. Dam., *De fide orth.*, I, 8 (32,81-83)

53 Et ... 55 coeternum] cf. Thom., *De aetern. mundi* (89,260-264); Iac. Met., *Super Sent.*,
 II, 1, 1 (T68rb; Vb4ora)

Hvggo ... 55 coeternum] Hugo de S. Victore, *De sacram.*, I, 1, 2 (36,16-17)

56 In ... 60 cetera] ps.-Henr. de Gand., *Quaest.*, 4 (37,71-73); Petr. de Tarant., *Super Sent.*,
 II, 1, 2, 3 (11b)

[10] Item creatura potest statim, cum est, effectum suum producere, sicut statim cum est ignis, est splendor eius, ergo multo fortius hoc potest facere Deus, qui est potentior omni creatura.

[11] Responsio. Questio ista habere potest duplicem sensum, secundum quod ly ab eterno potest duo determinare, scilicet hoc 65 quod est potuit, uel hoc quod est creare. Primo modo queritur de possibilitate creationis absolute: Est enim sensus, utrum Deus potuit ab eterno creare (id est, utrum ab eterno habuerit potentiam creandi aliquid). Et cum constet quod Deus habuerit ab eterno potentiam ad omne quod est possibile (nulla enim potentia aduenit ei ex tempore) 70 ideo hoc modo non queritur de possibilitate creationis absolute, de qua in precedente questione dictum est. Sed | secundo modo queritur de possibilitate creationis non absolute, sed respectu eternitatis, an, scilicet actus creandi potuit esse ab eterno.

[12] Circa quod est intelligendum quod creaturam fuisse ab eterno 75 potest intelligi dupliciter, uno modo quod semper fuerit, nec habuerit sue eternitatis causam, seu principium, et isto modo est impossibile secundum philosophiam, et hereticum secundum fidem aliquid preter Deum fuisse uel posse fuisse ab eterno. Alio modo quod creatura semper fuerit, non habens sue durationis initium, 80 habens tamen sue eternitatis causam et principium. Et hoc modo negari non potest nisi propter defectum diuine potentie, uel propter

61 Item ... 63 creatura] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68rb; Vb39vb)

65 secundum ... 66 creare] cf. ps.-Henr. de Gand., *Quaest.*, 4 (56,698-705); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 1, 2, 3 (12b)

75 creaturam ... 90 facti] cf. Thom., *De aetern. mundi* (85,1-41); cf. etiam Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 8 (106ra)

76 uno ... 81 principium] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T69va; Vb41ra)

repugnantiam creature. Primum nullus dicit, quia potentia diuina ad omne se extendit.

85 [13] Nec secundum potest dici, quia repugnantia ex parte creature, ne ab eterno posset fieri, aut esset propter defectum potentie passiuæ ab eterno, aut quia esset repugnantia intellectuum. Primum non potest dici, quia pari ratione nihil posset omnino creari, nec ab eterno, nec de nouo, cum creatio nihil omnino supponat ex parte
90 facti. Solum ergo restat uidere si ex repugnantia intellectuum, id est, si contradictionem implicat creaturam ab eterno fuisse.

[14] Et dicendum ad hoc, quod res permanens, cuius esse non consistit in successione, ut celum, homo, angelus potuit a Deo produci ab eterno. Quod patet tripliciter, secundum tria que sunt de
95 ratione creature. Est enim *creatura ens productum ab alio de nihilo*. Iam ratione qua creatura est ens non potest sibi repugnare, fuisse ab eterno, quia potissime repugnare Deo, in quo uerissime saluatur ratio entis. ergo si repugnat ei hoc erit uel ratione cause producentis, quia ab alio, uel ratione productionis, quia est ens productum, uel ratione
100 termini, quia de nihilo. Et de his omnibus tacte sunt difficultates in argumentis.

[15] Quod autem ei non repugnat ratione cause producentis, quia est ab alio patet, quia non est necesse causam agentem precedere duratione suum effectum, quia si illud esset de ratione agentis, aut
105 ergo in quantum est agens absolute, aut in quantum tale agens scilicet per uoluntatem. Primum non potest dici, quia inueniuntur multa

83 Primum ... 90 facti] cf. Ioh. Paris., *Corr. corrupt.*, 6 (45,89-46,2)

95 Est ... nihilo] Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4ora)

96 ratione ... 98 entis] Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4ora)

106 Primum ... 109 illuminauit] cf. Thom., *De aetern. mundi* (86,88-98); *S.c.g.*, II, 38 (128a); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4orb)

agentia, quorum effectus sunt statim cum suis causis. Statim enim cum est ignis lumen eius est in domo, et sol in eodem instanti, in quo creatus est hemispherium illuminauit. Item nec de ratione agentis per uoluntatem est, quod precedat duratione suum effectum, nisi 110 uoluntas sit de nouo accedens, ita ut de non uolente fiat uolens, aut uoluntas sit deliberationem sequens, neutrum autem istorum est in Deo, quare et cetera.

[16] Item uoluntas diuina non minuit eius potentiam, sed secundum omnes, si Deus ageret ex necessitate nature, res fuissent ab 115 eterno, ergo non obstante quod Deus agat per uoluntatem res poterunt esse ab eterno. Non est ergo repugnantia intellectuum, si dicamus causam agentem non precedere suum effectum.

[17] Quod autem non sit repugnantia ex parte productionis, quin creatura potuerit esse ab eterno, inquirendum est nunc, quia in hoc 120 dependet maior pars questionis. Quicquid enim detur de productione creature, siue quod sit in instanti, siue in tempore, semper uidetur sequi quod creatura sit de nouo. Si enim creatio sit successiua, et in tempore, ipsa duratione precedet creaturam. Si autem sit in instanti inter illud instans, et inter aliud quod nunc 125 accipitur, includetur tota duratio creature, et in illis finitur tanquam in suis terminis. Et ideo licet ad probandum quod agens creatum non precedat duratione suum effectum sufficiat probare quod agat ex necessitate nature, et actione subita, tamen non sufficit hoc circa agens increatum. Quanuis enim non repugnet actioni momentanee 130

109 Item ... 113 cetera] cf. Thom., *De aetern. mundi* (87,119-124); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4orb)

114 Item ... 117 eterno] cf. Thom., *De aetern. mundi* (87,145-157); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4orb); cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 1, 4 (26,65-74); God. de Font., *Quodl.*, II, 3 (73-74)

quod sit in eodem instanti, in quo est causa agens, que etiam in instanti incipit esse tamen repugnat actioni momentanee, quod sit eterna ut uidetur.

[18] Ad tollendum igitur hanc difficultatem distinguendi sunt
 135 modi, quibus aliquid habet fieri, qui sunt quatuor in uniuerso.
quidam enim fiunt per motum solum, sicut aqua fit calida *per motum calefactionis*. Alia fiunt *per mutationem sequentem motum* de necessitate, *sicut forma substantialis* introducitur *in materia per generationem sequentem alterationem* preuiam, *cuius ipsa est terminus*
 140 *saltem extrinsecus*. Tertio modo aliqua fiunt *per mutationem* quidem | $\pi 127^ra$
sequentem motum, sed non per se, nec ex necessitate, sicut illuminatur hemispherium nostrum a sole, *quam illuminationem precedit motus locatis solis, per quem fit nobis presens*. In primo autem instanti, quando factus est sol, *fuit aer illuminatus a sole*, sed non per
 145 precedentem motum. Quarto modo fiunt aliqua, *non per motum aut mutationem, sed per simplicem emanationem, sicut illa que creantur*.

[16] In his autem quatuor modis fieri et factum esse, non eodem modo se habet. Nam in illis que fiunt per motum, factum esse se habet ad fieri, sicut eius terminus. Et simili modo mensura ipsius
 150 facti esse se habeat ad mensuram fieri, sicut eius terminus. Propter quod sicut motus uel fieri mensuratur tempore, sic factum esse mensuratur nunc temporis, quod est nunc fluens. Et sicut uerum est dicere de tali re, quod fit, solum pro tempore mesurante motum, sic uerum est dicere quod factum est solum pro illo instanti, in quo
 155 terminatus est motus.

[17] In illis uero que fiunt per mutationem sequentem motum per se, idem est iudicium, quia enim unum est propter alterum (scilicet motus precedens propter sequentem mutationem) iudicandum est quod utrobique; est unum tantum quoad mensuram, ita scilicet ut talis res dicatur solum fieri pro tempore mesurante 160 motum, facta autem pro nunc quod est terminus illius temporis, quanuis factum esse uel fieri secundum ipsam mutationem precise simul sint et unum et idem.

[18] In his uero que fiunt per mutationem sequentem motum localem, sed non ex necessitate ut dictum est de illuminatione est 165 aliter, quia propter motum precedentem non dicitur res fieri, quia per motum localem nec forma acquiritur subiecto, nec aliqua dispositio ad formam. Et ideo factum esse per sequentem mutationem non est terminus precedentis motus, nisi per accidens, quia est quando terminus precedentis motus est. Nec mensura eius est eadem cum 170 mensura termini motus, nisi secundum accidens. Inquantum ei coexistit primo. Alio enim nunc mesuratur terminus motus localis, quia nunc temporis fluente, alio mesuratur illuminatio, quia nunc stante, et non fluente. Quod patet sic, *idem manens idem secundum idem*, et respectu eiusdem *semper natum facere idem*, si agat ex 175 necessitate nature. Sed si sol accedens ad primum punctum hemispherii nostri staret ibi, ita quod ibi terminaretur motus localis precedentis, et inciperet illuminare nostrum aerem, tunc sol maneret idem respectu aeris, et secundum idem ageret, et id ex necessitate nature. Aer etiam maneret in eadem dispositione, ut 180 suppono, ergo sol sic manens semper faceret idem. Sicut igitur in

174 idem¹ ... 175 idem²] *Auct. Ar.*, 4, 43 (170,6); *Arist., De gen. et corr.*, II, 10, 336a27-28

primo instanti uerum fuit dicere de eodem lumine quod fit, et factum est, ita in quolibet alio uerum est dicere de eodem lumine quod fit et factum est. Propria ergo mensura talis fieri non est nunc
 185 fluens, quod non contingit bis accipere, sed nunc stans, quod potest pluribus partibus temporis coexistere. Veruntamen, quia motus precedit est dare aliquod nunc temporis, cui primo coexistit nunc mensura illuminationis, quod non esset, nisi motus precederet.

[19] In his uero que fiunt per simplicem emanationem absque
 190 motu precedente (sicut illa que creantur) fieri et factum esse simul sunt et unum, et mensurantur nunc stante, quod non necessario coexistit primo alicui nunc temporis quod patet, quia *actio et passio sunt unus* motus sub diuersis respectibus, a quo et ad quem, ergo circumscripto motu actio et passio dicunt solos respectus inter
 195 producens et productum. Cum ergo creatio sit sine motu, creare et creari dicunt solos respectus inter Deum et creaturam, ita quod creare nihil aliud est quam dare esse alteri nullo supposito, et creari, quam sic habere esse a Deo. Et ideo quum pro quolibet instanti sit uerum dicere quod creatura habet esse a Deo pro quolibet est etiam uerum
 200 dicere, quod creatur et creata est. Nec oportet mensuram creationis coexistere primo alicui nunc temporis, quia non oportet aliquem motum precedere creationem sicut fit in illuminatione noua, ratione nouitatis. Sed sicut in diuinis semper est uerum dicere filius gignitur et genitus est a patre ex necessitate nature, et in identitate essentie,
 205 sic uerum est dicere de creatura (quamdiu est) quod creatur a Deo, et creata est ex libera tamen uoluntate diuina, et in diuersitate essentie, ut sit eadem actio creationis rerum, et conseruationis earum. Et licet

192 actio ... 193 unus] *Auct. Ar.*, 2, 101 (148,67); Thom., *In Phys.*, III, 5, n.314 (157b)

sit sciendum sic, tamen aliter est loquendum, secundum quod plures loquuntur, quia enim actiones notiores nobis sunt ille
 π127rb que sunt cum motu, aut que sequun- | -tur motum, ut generationes 210
 rerum naturalium: et in his res non dicitur fieri post primum instans, in quo accepit esse. Ideo secundum hanc similitudinem, nec nos dicimus quod celum nunc creetur, aut angelus, quum tamen secundum rei ueritatem sit sentiedum sic. Mensura igitur creationis est nunc stans, quod potest pluribus nunc temporis coexistere. Nec 215
 est necesse dare aliquod nunc teporis, cui primo coexistat, quum nullus motus creationem precedat, sicut non est necesse dare a patre post ultimum nunc temporis, cui duratio creature ultimo coexistat.

[20] Ex his formatur talis ratio, actio que non est succesuia, nec mensuratur nunc fluente, quod non contingit pluries accipere, sed 220
 nunc stante, talis actio non impedit quin productum per eam possit coexistere producenti. Et hoc manifestum est ex precedentibus. Si enim esset successiua, impediret coexistentiam respectu cuiuslibet agentis. Rursus si esset subita, et mensuraretur nunc fluente non impediret coexistentiam respectu agentis temporalis, impediret tamen 225
 respectu eterni, quia tale nunc non contingit pluries accipere. Et ideo cum semel acceptum sit, prius accipi non potuit, et sic ab eterno non fuit. Sed his amotis nihil impedit ex parte actionis coexistentiam effectus cum agente eterno. Sed *creatio est talis actio* que non est successiua, sed *subita*, nec mensuratur non fluente, 230
 sed stante, ut deductum fuit, ergo non repugnat creature ratione sue productionis, quin possit ab eterno coexistere Deo producenti, quod fuit secundum.

209 quia ... 210 motum] cf. Thom., *De aetern. mundi* (86,113-116)

229 creatio ... 230 subita] Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68vb; Vb4orb)

[21] Quod item non sit repugnantia ratio termini (quod erat
 235 tertium) ex eo scilicet quod creatura dicitur esse ex nihilo (ex hoc
 enim forte uideretur quod creatura haberet esse post nihil duratione)
 hoc sic ostenditur, Illud quod non precedit creaturam duratione uel
 natura, non impedit eam quin possit esse eterna, sed esse nihil uel ex
 nihilo non precedit esse creature duratione uel natura, igitur et
 240 cetera. Maior patet, etiam si poneretur solum quod non prederet
 duratione. Minor probatur, quia creatura non dicitur fieri ex nihilo
 materialiter, tanquam nihil sit materia facti, nec ordinabiliter, ita ut
 maneat ordo affirmatiue ad nihil sub hoc sensu, quod fiat ex nihilo,
 id est, post nihil, sed dicitur fieri ex nihilo pure negatiue, id est, *non*
 245 *ex aliquo*, et isto modo nulla antecessio durationis, aut nature
 intelligitur ipsius nihil ad esse creature. Vnde non est necesse
 creaturam prius tempore uel natura fuisse nihil quam aliquid.

[22] Quod autem consuevit dici quod creatura prius est naturaliter
 non ens quam ens, quia de se habet quod sit non ens, ab alio autem
 250 habet quod sit ens, prius autem est quod inest alicui ex se, quam
 quod inest ab alio. Non intelligo qualiter possit esse uerum, quia
 quod inest alicui ex se, uel ex natura sua, naturam non destruit, sed
 ponit uel supponit, non ens autem uel nihil naturam destruit: ergo
 impossibile est, quod aliqua res ex natura sua sit non ens uel nihil.

241 creatura ... 245 aliquo] cf. supra, II, I, I, 4 et 7; cf. etiam Ioh. Paris., *Corr. Corrupt.*, 6 (44,50-64); Ans., *Monol.*, 8 (23)

244 non ... 245 aliquo] Thom., *S.th.*, I, 45, I, ad 3

248 Quod ... 251 alio] cf. Thom., *De aetern. mundi* (88,190-195); *Super Sent.*, II, I, I, 5, ad 2 (38); Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 7 et 8 (44,16-18); God. de Font., *Quodl.*, II, 3 (71); Iac. Met., *Super Sent.*, II, I, I (T69ra; Vb40va); Duns Scot., *Lect.*, II, I, 3 (36,1-37,1); Henr. de Gand., *Quodl.*, VIII, 9 (317D-318E)

[23] Nec obstat si dicatur quod res de natura sua non est ens, et 255
 proinde est non ens, quia aliud est dicere naturam rei non habere esse
 de se, et habere de se non esse. Primum enim istorum est uerum,
 secundum autem falsum et impossibile. Et ita patet quod non
 repugnat creature (quia est ex nihilo) quin sit uel esse possit ab
 eterno, quia per hoc quod creatura est ex nihilo, nullus ordo 260
 nature aut durarionis importatur ad nihil. Sic igitur apparet,
 quod creature permanenti non repugnat fuisse ab eterno.

[24] Sed contra arguitur sic, creatura habet causam priorem se,
 saltem ordine nature, in illo ergo priori creatura non fuit ens, ergo
 non ens, uel nihil: et sic inter creaturam et nihil, est saltem ordo 265
 nature. Et dicendum ad hoc quod ponendo ordinem prioris et
 posterioris secundum naturam inter creaturam et nihil, non propter
 hoc sequitur quin creatura possit esse eterna, nisi poneretur inter ipsa
 ordo durationis, sicut prius dictum fuit. Et nihilominus nec ordo
 nature est inter ipsa, quanuis sit inter creaturam et suam causam. Et 270
 quum dicitur quod in illo priori cause creatura non fuit ens, non est
 uerum, quia prius et posterius secundum naturam non attenduntur
 secundum entitatem, et non entitatem, ut uerum sit dicere quod
 unum sit alio non existente, quia nunquam est uerum dicere quod
 sol sit lumine non existente, et tamen sol est prior secundum 275
 naturam, quam suum lumen, sed attenduntur secundum | entitatem
 dependentem, et independentem quia illud est prius secundum
 naturam, cuius entitas est independens, et illud posterius, cuius
 entitas est dependens, et tamen iste due entitates sunt semper simul.
 Sed prioritas cause non competit effectui, sicut nec independentia. 280

Non est ergo uerum quod in illo priori cause sue creatura non sit ens: imo est ens, sed quia est dependens, ideo non attribuitur ei illa prioritas.

[25] Ad primum argumentum principale dicendum quod duratio
285 creature inclusa inter duo nunc fluentia, uel que imaginamur in motu
fluente, est necessario finita, sed duratio creature permanentis, non
accipientis esse per motum, nec per mutationem sequentem motum,
non necessario includitur inter talia duo nunc, sed mensuratur nunc
stante quod potest pluribus temporibus coexistere, imo quod plus est,
290 potest toti tempori coexistere, et ideo non oportet talem durationem
esse finitam.

[26] Ad secundum dicendum est quod creatura dum creatur simul
fit, et facta est. Et hoc non solum uerum est pro uno nunc fluente,
sed pro nunc stante quod potest toti tempori coexistere, et
295 preexistere.

[27] Ad tertium dicendum quod cum dicitur illud quod aliquando
fuit nec erat tempus precedens pro quo potuit impediri illud est
necessarium necessitate absoluta. Dicendum quod falsum est. Siue
enim creatura sit ab eterno producta, siue ex tempore semper est a
300 Deo libere producta, et non ex necessitate absoluta. Quod patet quia
illud quod non est necessario uolitum a Deo non est necessario a Deo
productum (cum Deus agat per uoluntatem) sed Deus nihil aliud a se
uult ex necessitate. Non enim necessitatur uoluntas nisi respectu finis,
uel eorum sine quibus finis haberi non potest, uel conseruari, nihil
305 autem tale inuenitur in creaturis respectu diuine bonitatis que est
finis omnium, et ideo nihil creatum est a Deo necessario uolitum uel
productum, quod enim tempus precedat nihil uel precedat facit ad
hoc quod aliquid procedat a Deo libere, uel necessario. Tota enim

ratio libertatis uel necessitatis sumenda est ex habitudine potentie ad
 obiectum. Quod patet: quia omnis predestinatus est ab eterno 310
 predestinatus, et tamen quilibet predestinatus libere est predestinatus,
 ita quod ab eterno potuit non predestinari et similiter est in
 proposito. Et si aliquis dicat quod non est simile, quia predestinatio
 ratione eius quod est pre, importat antecessionem ad effectum
 predestinationis, et ideo quod predestinatum est, non necessario est, 315
 quia respicit determinatum tempus, non sic autem est illud quod est
 ab eterno. Non ualet, quia non solum effectus predestinationis qui
 euenit in tempore contingenter euenit et non ex necessitate puta
 sortem saluari, sed ipsum esse predestinatum saluari, quod est
 eternum et non respicit determinatum tempus, liberum fuit, et non 320
 necessarium nisi ex suppositione, sicut sortem currere supposito quod
 currat.

[28] Ad quartum patet ex iam dictis. falsum enim est illud quod
 assumitur uidelicet quod creatura habet de se non esse quanuis de se
 non sit ens eo modo quo Deus de se est ens. 325

[29] Ad quintum dicendum quod non est simile de creatione et de
 ersione, quia ersionio supponit creationem, non enim est uertibile in
 nihil nisi quod est creatum ex nihilo, propter quod omnis ersionio ex
 tempore est cum ipsam precedat creatio duratione. Creatio autem
 nihil supponit nec subiectum nec terminum ratione cuius oporteat in 330
 ea ponere nouitatem. Si uero argueretur sic, ersionionem in nihil,
 sequitur aliqua duratio, ergo creationem ex nihilo precedit aliqua
 duratio, quia sic se habere uidetur ersionio ad nihil ratione termini ad

310 Quod ... 322 currat] cf. Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 1, 1, 2 (194aC-D)

313 aliquis] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 7 et 8 (45,35-46,59)

327 non ... 328 nihilo] Ioh. Dam., *De fide orth.*, I, 3 (16,23-24)

quem est, sicut creatio ad nihil in ratione termini a quo. Dicendum
 335 quod nihil non est terminus a quo creationis, nec terminus ad quem
 uersionis ut super probatum fuit questione I numero 6. Item quod
 assumitur non est uerum scilicet quod uersionem in nihil necessario
 sequatur aliqua duratio. Est enim uersio aliquid non habere esse a
 Deo postquam habuit esse ab ipso. Sicut enim creare est alicui dare
 340 totum suum esse, ita uertere in nihil est non dare esse cui prius
 dabatur. Istud autem uerificatur toto tempore quo res non est
 postquam fuit, et ideo uersio potest coexistere infinite durationi a
 parte post, sicut creatio a parte ante.

[30] Ad sextum negatur consequentia. Et ratio est quia licet essentia
 345 diuina et eius duratio sint idem, tamen esse simul natura cum Deo et
 esse simul cum eo duratione differunt realiter propter respectum
 connotatum in hoc quod dico simul. | Aliqua enim simul esse *π127vb*
 duratione est unum esse dum aliud est quod quidem potest
 conuenire creature respectu Dei, ut ostensum est. Esse autem simul
 350 natura est unum non preintelligi alteri, nec supponi ab altero, sed
 esse simul naturali intelligentia absque dependentia uel
 presuppositione unius ab altero quod non potest competere creature
 respectu Dei, ergo et cetera.

[31] Ad septimum quod ultimo adducitur de DAMASCENO et HVGO
 355 dicendum est quod licet creatura ab eterno fuisset, tamen non esset
 dicendum eam equari Deo in eternitate quod importat nomen
 coeterni quasi coequetum eterni, quia eternitas creatoris est semper
 simul tota uniformiter se habens, nec potest aliquam uariationem

336 questione ... 6] cf. supra, II, 1, 1, 6

354 Ad ... 361 creatoris] cf. Thom., *S.th.*, I, 46, 2, ad 5; *Super Sent.*, II, 1, 1, 5, ad 7 (40); *De pot.*, 3, 14, ad 1 (81a); God. de Font., *Quodl.*, II, 3 (77)

suscipere, quelibet autem creatura mutabilis est aliquo modo, etiam si ab eterno esset, propter quod eternitas creature non potest equari 360 eternitati creatoris, et hoc modo intelligendum est creaturam non posse esse coeternam creatori, non quin creatura ab eterno esse potuerit, sed quia eternitas eius deficit a perfectione eternitatis diuine, nec duratio eius esset proprie eterna, quia non mensuraretur eternitate, sed euo, coexisteret tamen semper eternitati, et sic 365 exponende sunt auctoritates DAMASCENI et HVGO. Hanc responsionem tangit BOETIVS ultimo *De consolatione* dicens sic: *Non recte, inquit, cum audiunt uisum PLATONI mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori mundum fieri coeternum putant. Aliud enim est per 370 interminabilem uitam duci quod mundo Plato tribuit. Aliud interminabilis uite totam pariter complexam esse presentiam.*

<QUESTIO TERTIA

VTRVM ENTIA SUCCESSIVA POTVERINT FUISSE AB ETERNO>

[I] Tertio queritur, utrum entia successiua, ut motus, et tempus potuerint fuisse ab eterno. Et arguitur quod sic, quia quando aliqua sunt eiusdem rationis quod non repugnat uni non repugnat alteri, 5 sed partes motus sunt eiusdem rationis, ergo cum non repugnet huic uel illi parti habuisse ante se aliam uidetur nec quod alicui parti

366 Hanc ... 372 presentiam] cf. Thom., *De aetern. mundi* (89,265-273)

367 Boetivs] Boeth., *Cons. Phil.*, V, 6 (94,101,28-33)

motus, et sic ante quamlibet potuit esse alia, et sic fuissent infinite, quare et ab eterno.

10 [2] Item probatur de generatione sic, in his que sunt eiusdem nature est idem modus acquirendi naturam, sed indiuidua eiusdem speciei sunt eiusdem nature specificæ, ergo habent eundem modum accipiendi naturam, uel saltem habere possunt. Hic autem modus est per generationem, ergo omnia sunt genita et nullum creatum, uel
15 saltem sic esse potest, quo posito non esset dare primum genitum, quare et cetera.

[3] Ad idem est intentio ARISTOTELIS VIII P h y s i c o r u m et I C e l i e t m u n d i ubi sentit quod non solum talia potuerint esse ab eterno, sed etiam quod fuerunt.

20 [4] Item si motus celi non posset fuisse ab eterno hoc esset preter aliquod impedimentum quod esset ex parte mouentis, uel mobilis uel spatii. Non ex parte mouentis, quia eternum. Nec ex parte mobilis quod potest esse eternum, ut dictum fuit in precedenti questione. Nec ex parte spatii tanquam oporteat dare aliquod signum a quo
25 primo incipiat motus, cum motus celi non sit rectus, sed circularis, ergo nihil impedit quin motus celi poterit esse ab eterno.

[5] In contrarium arguitur, quia si motus fuisset ab eterno infinite reuolutiones fuissent pertransite, hoc est impossibile, ergo et cetera.

[6] Item si mundus ab eterno fuisset, heri precessissent infiniti dies.
30 Similiter et hodie, sed infinito nihil est maius, ergo tot precessissent heri sicut hodie. sed hoc est impossibile, cum hodie sit noua dies addita, ergo et cetera.

18 non ... 19 fuerunt] *Auct. Ar.*, 2, 201 (156,31); Arist., *Phys.*, VIII, 252a3-4

29 Item ... 32 cetera] cf. Thom., *S.th.*, I, 46, 2, arg. 6; Aeg. Rom., *Ord.*, II, I, I, 4, 2 (55bA); *Report.*, II, 7 (204,12-205,15)

[7] Item tempus ab heri est pars temporis ab hodie, sed pars non potest equari toti (equaretur autem si infiniti dies precessissent) ergo et cetera. 35

[8] Item si mundus fuisset ab eterno, fuissent infiniti homines, sed corrupto homine anima remanet, ergo essent infinite anime. Hoc autem uidetur impossibile, ergo et cetera.

[9] Responsio. Repugnat motui et cuicumque creature sub motu fuisse ab eterno. Quod patet primo sic, In quibuscunque est dare 40
π128ra primum et ultimum illa sunt finita. Sed in reuolutionibus celi acceptis seu preteritis que | sunt preterite, uel esse potuerunt necesse est dare primam reuolutionem, et ultimam, ergo necessario precesserunt reuolutiones finite, et non infinite, sed motus constans 45
 ex reuolutionibus finitis quantitate et numero non potest esse ab eterno, ergo et cetera. Maior patet, sed minor probatur, quia in omnibus preteritis reuolutionibus fuit ordo durationis ita quod nunquam fuerunt plures simul sed semper una post aliam in post sumendo, uel una ante aliam in ante sumendo, ergo cum quelibet accepta sit et omnes, ex quo quelibet et omnes sunt preterite, et prius 50
 necessario fuerunt presentes, aut est accepta aliqua antequam nulla, aut non. Si sit accepta aliqua antequam nulla, habetur propositum, quia illa erit prima, nunc uero est dare ultimam acceptam, scilicet hodiernam, ergo et cetera. Si uero ne sit dare aliquam reuolutionem

33 Item ... 35 cetera] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68va-b; Vb4orb); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 1, 1, 4, 2, resp. (62bB)

36 Item ... 38 cetera] cf. Thom., *S.th.*, I, 46, 2, arg. 8; *Super Sent.*, II, 1, 1, 5, sed contra 6 (32); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 1, 1, 4, 2 (56aA-B); Aeg. Rom., *Report.*, II, 7 (204,11); Duns Scot., *Ord.*, II, 1, 3 (62,4-6); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 1, 3, 4 (17a); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 1, 1, 1 (191aB); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, I, 1, 1 (28vb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 1, 2, 3 (11a)

39 Repugnat ... 61 ordo] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 1 (T68va; Vb4ora-b)

55 antequam alia non sit accepta. Contra, ante omnes coniunctim
 acceptas nulla fuit prior. Perinde autem est quod ante omnes etiam
 coniunctim acceptas fuerit aliqua alia ab omnibus coniunctim
 acceptis, et quod ante quamlibet acceptam fuerit aliqua alia, quia non
 sunt accepte nisi quodam ordine una ante aliam, et nunquam simul
 60 plures, ergo non sunt omnes accepte, nisi sit aliqua accepta que
 includat omnes. Alioquin inter coniunctim acceptas non esset ordo.

[10] Et confirmatur quia in post sumendo non essent accepte
 omnes nisi esset aliqua claudens omnes, ergo nec in ante sumendo.
 Fieret autem hoc magis manifestum si loco cuiuslibet reuolutionis
 65 preterite sumeretur aliquid permanens puta granum milii, et
 deduceretur in eis ratio preinducta. In tota enim multitudine
 granorum acceptorum ordine quodam scilicet, quod unum
 fuerit acceptum ante aliud uel post aliud, et nullum aliter, necesse
 esset dare aliquod granum antequam nullum acceptum, uel non
 70 omnia grana essent accepta propter ordinem acceptionis, ratione
 cuius unum includit aliud. Sic ergo patet quod in reuolutionibus celi
 est dare primam et ultimam, et hoc fuit minor. Vel potest sic formari
 ratio, quod necessarium esset ponere in accipiendis si deueniretur ad
 hoc quod essent accepte illud idem necessarium est ponere in iam
 75 acceptis. Sed in accipiendis si deueniretur ad hoc ut essent accepte
 una post aliam, esset dare ultimam, ergo et cetera.

[11] Secundo patet eadem minor sic, aut inter reuolutiones
 preteritas fuit aliqua a qua reuolutio hodierna distat in infinitum, aut
 non. Si sic, illa fuit necessario prima, quia non potest esse maior
 80 distantia quam infinita: Si non, ergo non precesserunt infinite
 reuolutiones, quia quanto plures precesserunt, ante est maior
 distantia alicuius illarum a reuolutione hodierna. si ergo a nulla

earum distat reuolutio hodierna in infinitum, sequitur quod non
 precesserunt infinite reuolutiones. Et sic quicquid detur semper,
 sequitur quod nullo modo potuerunt precessisse reuolutiones infinite. 85
 Et ista ratio similis est, et eiusdem efficacie cum illa per quam
 probatum fuit primo libro quod in entibus est dare necessario
 primum et perfectissimum, quia sicut in speciebus est ordo
 perfectionis per se, ita in partibus eiusdem motus est per se ordo
 durationis. Et sicut ex distantia finita, uel infinita secundum gradus 90
 perfectionis semper necessario concluditur quod sit dare primum et
 summum in perfectione, sic ex distantia finita uel infinita in
 reuolutionibus motus celi necessario concluditur quod est dare
 primam in duratione.

[12] Ad hoc autem respondent quidam dicentes quod argumentum 95
 procedit ex falsa imaginatione, hac, scilicet quod in motu celi sint
 plures reuolutiones, quod non est uerum cum sit unus, et continuus.
 Istud autem in nullo impedit rationem, quia etsi in motu non sint
 plures reuolutiones distincte per interpositionem quietis, sunt tamen
 plures per signationem sensus et rationis. Sicut in quanto continuo, 100
 puta in linea sunt plures partes equales, non quidem actuali
 diuisione, quia iam non esset ibi continuitas, sed signatione. Sicut
 ergo ad probandum lineam non esse infinitam sufficit probare quod
 in linea non possint signari infinite partes equales, puta bipedales,
 nec tamen propter hoc oportet actu secare lineam, sic ad probandum 105
 quod motus non fuerit infinitus sufficit probare quod in ipso non
 possunt signari infinite partes equales reuolutiones, nec oportet eas
 sic signare quod actu diuidantur interiecta quiete. Patet ergo quod

95 quidam] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, I, 1, 1 (29ra)

97 unus ... continuus] *Auct. Ar.*, 3, 56 (163,72); Thom., *In De caelo*, II, 6, 4 (144a)

motus, uel creatura sub motu non potuit esse ab eterno impediēte | *π128rb*
 110 ordine partium acceptarum in quibus necessarium est signare
 primam et ultimam.

[13] Quod autem probatum est de motu celi potest deduci in
 successiua generatione hominum, accipiēdo Sortem genitum a
 Platone, et Platonem genitum a Cicerone, et sic ultra secundum
 115 lineam ascendentium, et secundum ordinem successionis unius ab
 uno, quia in talibus necesse est dare primum et ultimum, ut patet
 applicanti ad hanc materiam rationes prius factas.

[14] Preter hoc probari potest propriis rationibus quod generatio
 non potuit esse ab eterno, quia et si esset possibile generationem
 120 fuisse ab eterno, hoc maxime fuit ponendo uirum et mulierem
 creatos ab eterno in quantitate perfecta, et uirtute generandi, sed isto
 modo non fuit possibile, ergo non quocunque alio modo. Maior
 probatur, quia si alio modo fuisset possibile generationem fuisse ab
 eterno, ponendo uidelicet omnes homines fuisse genitos, quemlibet
 125 ab alio priore, et sic semper ita ut non esset deuenire ad aliquem
 creatum, et non genitum, si inquam hoc modo fuit possibile,
 similiter fuisset possibile primo modo, quia homo creatus ab eterno
 coextitisset cuilibet homini genito, et omnibus. Et ideo secundum
 ipsum potuit generatio fuisse quandocunque potuit fuisse secundum
 130 alios. Et sic probata est maior. Probatio minoris, homo creatus ab
 eterno, aut prius fuisset, et posterius genuisset, et sic generatio non
 fuisset ab eterno, aut non prius fuisset quam genuisset, sed mox cum
 fuisset genuisset. Sed hoc non potest esse: Probatio, quia agens per
 motum preexistit termino motus non solum natura, sed duratione,
 135 sed generans agit per motum alterationis, cuius terminus extrinsecus
 est generatio, ergo homo generans necessario preexistit omni

generationi non solum natura, sed duratione. Et sic generatio non potuerit esse ab eterno, quia nihil precedit eternum duratione.

[15] Concludit autem hec ratio non solum de hac generatione, uel illa, sed de generatione simpliciter, si bene aduertatur, quia quodlibet 140 generans precedit omnia genita ab eo etiam coniunctim accepta.

[16] Item illud quod est de ratione geniti conuenit omni genito non solum per se accepto, sed coniunctim cum aliis sicut quia de ratione medii est quod sit inter extrema, conuenit omni medio non solum per se sumpto, sed omnibus simul sumptis. Nunc est ita quod 145 de ratione geniti per motum seu alterationem precedentem est quod sequatur duratione suum generantem, ergo hoc conuenit omnibus genitis simul sumptis, sed hoc esse non posset ponendo generationem ab eterno, quare et cetera.

[17] Ad rationes in oppositum dicendum est, ad primam quod 150 maior est uera accipiendo diuisim et non coniunctim. Quod patet, quia sicut non repugnat uni parti motus habuisse unam alteram ante se, ita non repugnat ei aliam habuisse post se. Vtrunque enim conuenit reuolutioni hesterne, quia alia eam precessit, et alia eam secuta est, scilicet hodierna, et idem est de qualibet alia, quia nulli 155 repugnat secundum se aliam precedere et aliam sequi, et tamen impossibile est quod omnes que possunt sequi sint secute, et eodem modo impossibile est quod omnes que potuerunt precedere precesserint, et causa est, quia in his que accipiuntur successiue et ordine quodam potest esse processus in infinitum in accipiendo, sed 160 nunquam in accepto esse, neque in ante sumendo, neque post.

[18] Ad secundum dicendum per idem, quia in indiuiduis asini, uel alterius speciei non est dare indiuiduum signatum quin potuerit esse per generationem a simili secundum speciem, sed in tota multitudine

165 indiuiduorum conconiunctim [sic!] accepta necesse est dare aliquod
 indiuiduum (quodcunque sit illud) quod non est a simili secundum
 speciem. Cuius ratio est, quia tota species causam habet. Hec autem
 non potest esse aliquid illius speciei, neque unum, neque plura, nisi
 esset circulatio. Non unum quidem, quia cum illud sit aliquid speciei,
 170 nec sit causa sui, non est causa totius speciei, nec plura si non ut
 circulatio.

[19] Ad tertium dicendum est quod ARISTOTELES ponendo
 mundum eternum errauit non solum contra fidem, sed etiam contra
 rationem naturalem, et rationes per quas probat suum intentum VIII
 175 *Physicorum*, sunt omni homini intelligenti faciles ad
 soluendum. Et quedam earum modicum probabiles, quas non
 pertractamus ne prolixitas pariat tedium legenti.

π128va

[20] Ad quartum dicendum est quod eternitas motus non
 impeditur aliquo illorum impedimentorum, sed ex natura motus qui
 180 requirit ordinem partium in quibus acceptis necesse est dare primam
 et ultimam, ut deductum fuit.

[21] Rationes autem que sunt contra eternitatem motus facte in
 arguendo satis sunt efficaces, saltem prima et ultima. Secunda enim
 et tertia non procedunt, quanuis conclusio sit uera, quia licet infinito
 185 secundum quod infinitum non possit fieri additio, nihil tamen
 prohibet quod infinito ex ea parte qua non est finitum possit aliquid
 addi. Verbi gratia, si poneremus columnam infinitam secundum
 longitudinem et non secundum latitudinem, posset ei aliquid addi
 secundum latum, sed non in longum. Si autem poneremus corpus
 190 undiquaque infinitum, nihil omnino posset ei addi similiter dato
 quod motus semper fuisset, nec habuisset durationis initium (habet
 tamen a parte post durationis terminum. Possumus enim nunc

signare ultimam reuolutionem que fuit). Et ideo ante nihil posset addi, quia infinitus esset. Sed a parte post continue aliquid potest addi et additur quotidie. Ex hac autem parte unum est maius altero, 195 et unum pars, et aliud totum. Et ideo argumenta illa non bene concludunt, quanuis conclusio illa sit uera.

[22] Ad primum autem argumentum respondent quidam sic, quod non est inconueniens infinitas reuolutiones esse pertransitas que nunquam fuerunt pertranseunde, sed semper pertransite. Sed hoc 200 non ualet, quia contradictionem implicat quod aliquid sit pertransitum aut preteritum quod nunquam fuit presens aut futurum.

[23] Ad ultimam rationem quidam dicunt quod ratio non concludit, quia uel potest dici quod unus intellectus sit in omnibus 205 hominibus sicut posuit COMMENTATOR, uel potuit mundus fieri sine hominibus, uel finite anime perfecissent et animassent infinita corpora successiue. Potest enim Deus facere quod anima que separatur ab uno corpore perficiat aliud. Et secundum hoc non erit necessarium ponere infinitas animas actu. Sed istud non ualet, quia 210 non debet defendi ueritas per illud, quod est falsum, et erroneum. Ponere autem unam animam omnium hominum est falsum, et impossibile, etiam secundum philosophiam, ut patebit infra. Est nihilo minus erroneum secundum fidem. Et ideo per hoc non potest nec debet defendi ueritas de possibilitate eternitatis mundi. Quod 215 autem subditur quod Deus potuit facere mundum sine hominibus,

198 quidam... 200 pertransite] cf. *Articuli condemn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 205 (142)

204 Ad... 208 successiue] cf. Thom., *S.c.g.*, II, 38 (128b); Aeg. Rom., *Report.*, II, 7 (205,33-206,69)

206 Commentator] cf. Auerr., *De an.*, III, 5 (401,424-409,653)

aut quod una anima duo uel plura corpora animaret, uerum quidem est, sed non soluit argumentum. Queratur enim quare non potuit facere mundum cum hominibus ita quod una anima non informaret
 220 plura corpora, nec simul nec successiue, et tunc corruptis hominibus remanerent infinite anime. Nec erit assignare rationem quare non sit possibile unum sicut aliud. Non enim est magis impossibile homines fuisse ab eterno, quam quandocunque aliud, nisi quia aliquid est in homine incorruptibile per naturam, scilicet anima intellectiua. In
 225 aliis autem nihil. Sed illud non ualet, quia quod est corruptibile per naturam potest Deus conseruare per gratiam ne corrumpatur (sicut lapidem) et tunc concludetur illud quod de animabus.

[24] ALII soluunt dicentes quod in qualibet reuolutione signata potuit Deus animam unam creare, sed non in omnibus absolute
 230 loquendo, quia Deus nihil potest producere nisi sub aliquo ordine, infinitum autem omnem ordinem subterfugit, ideo per nullam potentiam possunt infinita produci. Sed illud uidetur absque ratione dictum. Si enim in qualibet reuolutione per se accepta et signata potuit Deus unam animam creare potuit et in omnibus. Omnes enim
 235 possunt et potuerunt signari, etsi non a nobis accipientibus unam post aliam, tamen a Deo consignante simul et actu quamlibet earum et omnem, quare ergo Deus (qui quamlibet et omnes signauit) in qualibet simpliciter unam animam producere non potuit, ut essent tot anime quot reuolutiones pertransite, non uideo.

240 [25] Item si anima desineret esse cessante reuolutione, siue per naturam, siue per uoluntatem diuinam subtrahentem influentiam suam, nullus negaret quin Deus potuisset tot animas produxisse quot

reolutiones. Non enim conceditur infinitas in reolutionibus, et
 negatur in animabus, nisi quia reolutiones traeseunt, et anime
π128vb manent, et ideo infi- | -nitas animarum esset actu, et simul, quod non 245
 credunt possibile. Infinitas autem reolutionum non est simul, sed
 successiue, quod est possibile (ut putant.) Potest ergo Deus producere
 tot animas quot fuerunt reolutiones, quarum quelibet cessaret
 cessante reolutione.

[26] Ex hoc sic arguitur, quecunque sunt talia, quod nulli eorum 250
 repugnat esse, nec habent oppositionem ad inuicem per quam uno
 posito aliud destruat, nec successionis in esse necessarium ordinem,
 talia possunt simul esse sicut successiue. Quid enim impediret eorum
 simultatem? nihil, ut uidetur. Sed infinitarum animarum
 productarum uel possibilium produci in infinitis reolutionibus 255
 modo quo statim probatum est, etiam nulli earum repugnat esse, nec
 comparata ad alteram habet oppositionem per quam una excludat
 aliam, nec habet successionis necessarium ordinem, ergo possunt esse
 simul sicut possunt esse successiue. Non ualet ergo solutio quam isti
 dant ad argumentum, nec motiuum eorum est sufficiens, quia si 260
 essent infinite anime quelibet earum haberet eundem ordinem ad
 Deum, et alias res, quem haberent anime que modo sunt, ipsius
 autem infiniti secundum multitudinem secundum se non oportet
 querere aliquem ordinem cum secundum se non sit aliquid unum,
 nec ens. 265

[27 Et est notandum quod ARISTOTELES qui posuit motum ab
 eterno VIII P h y s i c o r u m uidetur contradicere ei quod dixerat in
 III libro determinando de infinito. Ibi enim dicit quod infinitum non

266 posuit ... 267 eterno] *Auct. Ar.*, 2, 201 (156,31)

267 uidetur ... 268 libro] *Auct. Ar.*, 2, 96 (148,62)

est aliter possibile esse in potentia accipiendo unum per alterum, sic
 270 tamen quod omne acceptum sit finitum semper in successiuis, de
 quibus posuit exemplum, ut sunt dies et agon, et anni. Vnde
 secundum ipsum in illo passu dies accepti non possunt esse infiniti,
 quanuis non sint simul, quicquid ipse dicat postea in VIII libro.

<QVESTIO QVARTA

VTRVM POTENTIA CREANDI POSSIT COMMVNICARI CREATURE>

[1] Secundo principaliter queritur, utrum potentia creandi possit
 communicari creature. Arguitur quod non primo sic, cui non potest
 5 communicari quod sit primum agens simpliciter ei non potest
 communicari quod agat nullo supposito, sed creature non potest
 communicari quod sit primum agens simpliciter, quia iam non esset
 creatura, sed creator, ergo et cetera. Minor patet. Probatio maioris,
 quia quanto agens est superius tanto pauciora supponit (sicut
 10 pauciora supponit natura, que solum supponit materiam quam ars
 que supponit ens actu). Et hoc est, quia ars nature innititur tanquam
 priori agenti. Sed agens supremum ut Deus sicut nulli alii agenti
 innititur, ita nihil ex parte facti supponit. Ex quo uidetur quod per
 hoc competit alicui agenti quod nihil presupponat ex parte facti, quia
 15 est primum agens simpliciter non innixum alteri, et ideo cui non
 potest communicari unum nec alterum, et hec fuit maior.

4 cui ... 6 supposito] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 1, 6 (35,84-89); Thom., *Super Sent.*, II, 1, 1, 3, sol. (22)

8 Probatio ... 16 maior] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 1, 6 (30,27-34 et 35,82-84); cf. etiam Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 4 (T70vb; Vb42ra); Aeg. Rom., *Report.*, II, 5 (200,19-24)

[2] Item super infinitam distantiam, non potest nisi uirtus infinita, sed inter terminos creationis est distantia infinita ergo et cetera. Maior supponitur: Sed minor probatur dupliciter. Primo quia illa distantia est infinita, quia non potest dari maior: Sed non potest dari 20 maior distantia quam sit inter ens et nihil, ergo illa est infinita. Secundo, quia inter quecunque contradictoria est equalis distantia cum contradictio sit una oppositio, sed inter Deum et non Deum, et inter totum ens et purum nihil est infinita distantia, ergo inter quodcunque ens creabile et nihil sibi correspondens est distantia 25 infinita.

[3] Item inter ens et nihil nulla est proportio, ergo similiter inter uirtutem que producit ens ex ente, et uirtutem que producit aliquod ens ex nihilo, nulla est proportio, sed cuiuslibet finiti ad finitum est aliqua proportio, ergo necesse est alteram illarum duarum uirtutum 30 esse infinitam, illam uidelicet que producit aliquid ex nihilo per creationem. Sed infinita uirtus non potest communicari creature: ergo et cetera.

[4] Item sic, Ad hoc quod agens creatum producat totam rem debet se toto agere. Sed nulla creatura potest se toto agere, cum non 35 sit actus purus, et nihil agit nisi secundum quod ens actu, ergo et
π129ra cetera. |

[5] Item illud cuius actus non est substantia non potest creare (quia actio eius supponit subiectum) sed actio creature non est substantia, ergo et cetera. 40

[6] Item si creatura posset creare, aut hoc posset ut principale agens, aut ut instrumentum. Non ut principale agens, quia illud est Deus, nec etiam ut instrumentum propter duo. Primo, quia

instrumentum non agit nisi ut motum, et per motum, et tale
45 supponit subiectum.

[7] Secundo, quia instrumentum disponit ad effectum principalis agentis, sed in creatione non potest precedere aliqua dispositio cum creatio fiat nullo presupposito, ergo, et cetera.

[8] In contrarium arguitur, quia quanquam agens posset excedere
50 effectum secundum se, tamen semper uidentur equari in actione, et passione, quia nec aliud nec plus agit agens quam recipiat patiens, Sed creatio passio non arguit in creato, nec infinitatem potentiam passiuam, uel aliquid infinitum productum, ergo nec creatio actio arguit in creante potentiam infinitam actiuam, sed propter aliud non
55 negatur quin creatio possit communicari creature, nisi quia creatio uidetur infinitam potentiam requirere in creante, ergo et cetera.

[9] Responsio. *Creatio dicitur productio alicuius nullo supposito.* Quod potest dupliciter intelligi. Vno modo quod nihil supponatur ex parte agentis, sed creans innitatur solum sue uirtuti, et hoc modo
60 secundum omnes creare non potest communicari creature et rationabiliter. Cui enim potest communicari quod non innitatur priori agenti, illi potest communicari quod non sit ab alio tanquam a causa agente, semper enim effectus innititur sue cause, precipue si sit causa eius conseruatiua. Tunc enim innititur ei in esse, et per
65 consequens in omnibus perfectionibus que presupponunt esse. Sed nulli creature potest communicari quod non sit ab alio agente, quia nomen creature importat oppositum, scilicet quod sit ab alio, ergo

57 Creatio ... 71 agenti] Iac. Met., *Super Sent.*, II, I, 4 (T70va; Vb42ra); cf. etiam Thom., *S.th.*, I, 65, 3, resp.; *Super Sent.*, II, I, 1, 3, sol. (22); IV, 5, 1, 3, q1a. 3, ad 4 (210); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, I, 2, 3 (198bA-B)

nulli creature potest communicari quod creet nullo supposito ex parte agentis.

[10] Alio modo potest intelligi quod nihil supponatur ex parte 70 facti, licet creans innitatur priori agenti. Et istud potest esse dupliciter. Vno modo quod communicetur creatio secundum totum ambitum, et istud non potest esse, quia cui potest communicari creatio secundum suum totum ambitum, illud potest creare omne creabile. Sed nulla creatura potest creare omne creabile (saltem 75 seipsam que est de numero creabilium) ergo et cetera. Alio modo quod communicetur creatio seu potentia creandi quantum ad aliquem specialem effectum.

[11] Et sic adhuc dicunt quidam quod nec isto modo potest communicari creature quod creet. Quod probant inductiue in 80 diuersis creaturis. Primo de creatura spiritali (sicut est angelus). Et hoc sic, nullus actus accidentalis necessario requiritur in creante substantiam tanquam prior necessario ipso termino creationis, sed intellectio angeli est quidam actus sibi accidentalis qui necessario requiritur in angelo tanquam prior quocunque producto per angelum 85 ad extra, ergo angelus nullus potest creare aliquam substantiam. Maior probatur, quia ille actus qui est necessario prius termino creations, aut requiritur tanquam actus productiuus termini, aut tanquam formale principium productiuum eius. Exemplum primi est de calefactione respectu caloris causati in ligno. Exemplum secundi 90 est de calore in igne respectu calefactionis ligni. Primo modo non requiritur aliquis actus accidentalis in creante, quia actus productiuus termini, et terminus productus sunt in eodem, ergo ad producendum

79 quidam] cf. e.g. Aeg. Rom., *Quodl.*, V, 1, resp. (263a-b)

aliquid extra non requiritur in producente aliquis actus manens qui
 95 sit actus productionis. Nec secundo modo, quia actus accidentalis
 non potest esse formale principium creandi substantiam, quia omnis
 forma actiua requirens potentiam receptiuam in essendo necessario
 requirit potentiam passiuam in agendo, alioquin terminus actionis
 esset absolutior principio suo, quod est inconueniens, quia absolutio
 100 a materia dicit perfectionem, terminus autem productus non potest
 esse perfectior principio suo productiuo. Cum ergo omnis actus
 accidentalis in agente supponat potentiam receptiuam in essendo,
 sequitur quod requirat potentiam receptiuam in agendo, et ita non
 poterit esse principium creandi cum creatio nihil supponat, et sic
 105 probata est maior. Postea probabitur minor. |

π129rb

[12] Sed prius excludantur quedam instantie que dantur contra
 probationem maioris. Vna intiantia est, quia accidens in uirtute
 substantie potest esse principium producedi substantiam tanquam
 instrumentum substantie, quanuis hoc non posset uirtute sua.
 110 Exemplum de calore quia est instrumentum generandi carnem, ut
 patet II De anima, ergo similiter potest esse in proposito
 respectu substantie creande.

[13] Sed istud non ualet, quia omne instrumentum uel attingit
 effectum principalem uel disponit ad ipsum. Neutrum potest dari in
 115 creatione. Non primum quod accidens possit attingere principalem
 effectum, scilicet substantiam, quia si principale agens esset agens
 uniuocum, non requireret necessario aliquod agens medium inter
 formam suam et effectum. Agens autem equiuocum est perfectius
 uniuoco, ergo non necessario requireret medium, et per consequens
 120 non habet instrumentum per quod agat tantum. Nec secundum

quod possit esse dispositio preuia, quia nihil supponitur creationi quo disponatur.

[14] Et confirmatur istud, quia ubi accidentia sunt instrumenta substantie generantis non attingunt terminum principalem, sed tantummodo quandam dispositionem sicut apparet de qualitatibus 125 alterarionis etiam elementorum que non attingunt formam substantialem. Alioquin qualitas esset principium immediate actuum in materiam receptiuam forme substantialis quod est inconueniens, quia quod non potest recipi nisi substantia composita in essendo nec potest agere nisi in substantiam compositam, et ita non in materiam. 130 Per hoc patet quomodo sit illud intelligendum quod dicitur secundo de anima de calore. Calor enim pro tanto est instrumentum anime generando carnem animatam pro quanto in alteratione preuia ad generationem est principium alterandi, non quia in instanti generationis attingat formam carnis tanquam termini, sicut nec 135 attingit materiam substantialem carnis tanquam passum.

[15] Alia instantia est contra eandem materiam per dictum ARISTOTELIS VII *M e t a p h y s i c e* qui dicit quod domus extra sit a domo in anima, et tamen domus habet uerius esse in re extra quam in anima, quia in re extra habet esse reale, sed in anima non habet 140 nisi esse cognitum quod est esse diminutum, ergo imperfectius puta esse in cognitione potest esse principium productiuum perfecti, scilicet esse in re extra.

[16] Ad hoc dicendum est quod minor est falsa, quia esse domus in anima est uerius esse et perfectius quam esse eius in re extra. Esse 145 enim domus in anima est ipsa cognitio anime a qua domus denominatur cognita, et hec cognitio est quedam naturalis perfectio anime, forma autem domus extra non est nisi ordo et compositio

partium que est aliquid accidentale et imperfectius ipsa cognitione, et
 150 ita perfectius non est ab imperfectione sed e conuerso, ueruntamen,
 quanuis cognitio domus sit perfectior quam forma domus, tamen
 esse cognitum domus non est uerus esse domus quam esse eius in re
 extra, quia non est eius esse formale sed cognoscentis, semper tamen
 est simpliciter perfectus, ubi autem substantia esset cognita, ibi
 155 cognitio que esset accidens semper esset omni modo imperfectior ipsa
 re cognita. Et ideo nulla cognitio que esset accidens potest esse
 principium producendi substantiam, nec per consequens creandi. Et
 sic probata est maior rationis principalis, et instantie contra eam
 euacuate.

160 [17] Minor probatur quantum ad duas eius partes. Et primo
 quantum ad hanc quod intellectio angeli sit accidens, quia non
 repugnat intellectui angeli distincte intelligere quodcunque
 intelligibile etiam si intelligibilia possent esse infinita alterius rationis,
 et ita disparata quod nullum eorum esset principium cognoscendi
 165 alterum. Nam istis positis ex parte intelligibilis, non inuenitur ex
 parte intellectus repugnantia quin possit intelligere distincte et
 perfecte quod libet illorum et omnia illa, sed constat quod
 repugnantia est dicere quod posset hoc facere per unicam
 intellectionem, ergo non repugnat angelo habere aliam et aliam
 170 intellectionem, hoc autem non posset esse si intellectio esset idem
 realiter cum substantia angeli, ergo est accidens.

[18] Assumptum probatur tripliciter. Prima ex finitate
 intellectionis. Secundo ex finitate intellectus angelici. Tertio ex
 finitate essentie angeli. Ex primo sic, si unicum esset intelligere
 175 respectu infinitorum obiectorum disparato- | -rum includeret in se *π129va*
 eminenter [sic!] perfectiones infinitarum intellectionum que nate

essent haberi respectu illorum, sed non posset continere eminenter, nisi esset in infinitum intensiue, quia ubi ille intellectiones essent secundum proprias rationes, ibi essent infinite perfectiones alterius rationis propter obiecta que posita sunt infinita esse, et disparata, 180 ergo ubi sunt eminenti modo oportet quod inueniatur aliqua infinitas non extensiuua, quia illam tollit unitas actus, ergo intensiuua quod est impossibile.

[19] Ex secundo sic arguitur, quorum potest esse unum intelligere illa possunt simul intelligi, sed intellectus finitus non potest simul 185 intelligere infinite obiecta disparata, quia maioris uirtutis est simul intelligere plura disparata quam pauca, ergo infinite uirtutis est simul intelligere, et distincte infinita disparata.

[20] Ex tertio sic, una intellectio requirit unum obiectum primum et unam formalem rationem obiectiuam, sed hoc non potest dari in 190 proposito, ergo et cetera. Probatio minoris, illud unum obiectum non posset poni nisi essentia angeli, quia omnia ponuntur ab inuicem disparata, sed hoc non potest esse propter duo. Primo quia aliquod intelligibile ab angelo est infinitum. Nullum autem finitum potest esse ratio intelligendi perfecte obiectum infinitum. Secundo quia 195 nihil potest esse ratio cognoscendi plura alterius rationis nisi eminenter contineat omnia illa secundum cognoscibilitatem, et per consequens secundum entitatem, ergo nihil potest esse principium cognoscendi infinita disparata si essent, nisi eminenter contineat infinita. Et sic erit infinitum quod non ponitur de essentia angeli. Et 200 ita probata est prima pars minoris.

[21] Secunda pars principalis quanuis sit concessa ab AVICENNA IX *M e t a p h y s i c e* capitulo 2. tamen adhuc probatur, quia natura intellectualis nihil producit nisi intelligendo et uolendo, sed angelus

205 est huiusmodi, ergo et cetera. Et sic probatum est quod substantia pure spiritualis puta angelus nihil potest creare.

[22] Secundo probatur principaliter quod nulla forma materialis potest creari ab aliqua creatura sic, Forma que creatur prius est naturaliter a causa efficiente quam informet materiam, sed forma
210 materialis non potest esse ab aliqua creatura prius naturaliter quam informet materiam, et cetera. Probatio maioris, quia si forma non est prius naturaliter, quam informet materiam, ergo non accipit esse a causa sua nisi illa actione qua subiectum informaretur ab ea, sed illa informatio est mutatio proprie dicta et non creatio, quare et cetera.
215 Probatio minoris. nulla creatura potest dare forme materiali esse per se, quia si posset dare esse tale posset ipsum conseruare, ita ut per se realiter subsisteret, quod non est possibile, quare et cetera.

[23] His tamen non obstantibus dicendum est quod quanuis nulli creature sit communicatum quod creet, tamen non apparet aliqua
220 ratio conuincens necessario quod Deus non posset facere aliquam creaturam que possit aliquid producere nullo supposito in quo agat. Et quia tota repugnancia que uidetur esse in creatura ne creet fundatur in duobus, unum est quod creatio uidetur requirere infinitam potentiam in creante propter infinitam distantiam entis a
225 non ente. Aliud est quod omnis actio creature uidetur esse per

223 quod ... 225 ente] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 1, 1, 3, sed contra 2 (21); *De pot.*, 3, 4, sed contra 1 (45b); *S.th.*, I, 45, 5, ad 3; Duns Scot., *Ord.*, IV, 1, pars 1 (11,124-12,127); Alb., *Super Sent.*, II, 1, A, 7, ad 2 (21a); *Summa de creat.*, I, 1, 4, sed contra (313b); Henr. de Gand., *Quodl.*, IV, 37 (434,27-32); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 1, 1, 2, 5, sed contra 2 (26b); *Report.*, II, 5 (200,6-7); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 4 (T70vb-71ra; Vb42rb); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 1, 6 (32,4-6); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 1, 1, 3 (7b)
225 omnis ... 226 subiectum] cf. Thom., *S.th.*, I, 45, 2, arg. 2 et resp.; Duns Scot., *Ord.*, IV, 1, pars 1 (13,161-14,168); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 4 (T70vb-71ra; Vb42rb)

motum uel mutationem que necessario supponunt subiectum. Ideo hec duo infringentur per ordinem.

[24] Primo ergo ostenditur quod non est necessarium illud quod creat habere uirtutem infinitam propter infinitam distantiam non entis ab ente. Quod patet primo per hoc quod ens et nihil non sunt 230 termini creationis ut patet ex prima questione. Quod enim creatio dicatur esse de nihilo solum intelligitur negatiue, quia non est de aliquo nec in ratione subiecti, nec in ratione termini. Ex quo potest formari talis ratio, quandocunque actio non habet subiectum, nec terminum a quo, sed solum effectum productum, nisi effectus 235 productus secundum se arguat infinitatem uirtutis productiue non poterit ex aliquo quod sit in actione argui infinitum uirtutis productiue, quia non est ibi aliquid, nec subiectum, nec termini, nec distantia terminorum, sed creatio est huiusmodi, ut declaratum est in I. questione, ergo et cetera. Effectus autem creationis secundum se 240 non arguit infinitam uirtutem agentis cum ipse sit finitus, ergo et cetera.

[25] Secundo, quia dato quod ens et nihil essent termini creationis, *π129vb* tamen nullam habent inter se distantiam. Sicut enim | differentia et diuersitas non est nisi entium inter se (ens enim non est diuersum 245 nec differens a non ente, quia idem et diuersum sunt differentie entis). Sic et distantia non est nisi entium, et non entis, a non ente. Quod patet in speciali distantia que est secundum locum. Celum enim non distat a nihilo ultra celum distantia locali. Et per eandem

231 ut ... questione] cf. supra, II, I, I, 5; cf. etiam Heru. Nat., *Super Sent.*, II, I, I, 2 (193bA-B); II, I, 2, 4 (199bC)

239 ut ... 240 questione] cf. supra, II, I, I, 6-7

250 rationem illa non distant distantia formali, quorum unum est ens et aliud nihil.

[26] Tertio, quia dato etiam quod distarent. illa distantia non esset infinita. Quod patet dupliciter. Primo, quia illa distantia non est infinita qua est dare maiorem, sed est dare maiorem distantiam quam
255 sit illa que est entis a non ente, quod ponitur terminus creationis, eo quod non ens quod implicat contradictionem multo plus distat ab ente quam illud non ens, quia ex ipso nihil plus potest fieri, quare et cetera. Item positio uel amotio subiecti non auget uel minuit distantiam terminorum. Tantum enim distant ab inuicem albedo et
260 nigredo si sint separate, sicut si essent in subiectis, sed ens et nihil circa subiectum suppositum, non distant in infinitum, quia forma et priuatio circa subiectum se habent ut ens et nihil, quorum distantia absoluit agens naturale actione naturali, ergo excluso omni subiecto ens et nihil non distant in infinitum.

265 [27] Secundum patet, uidelicet quod non est de ratione actionis creature quod sit motus uel mutatio que supponunt subiectum, quia non minus est possibile Deo separare accidens a subiecto dum producitur ab agente naturali quam postquam productum est, sed secundum est possibile, sicut fit in sacramento altaris, ergo et primum,
270 scilicet quod accidens producat non ex subiecto, nec in subiecto ab agente naturali cooperante tamen Deo non ad productionem, sed ad talem existentiam rei producte, et per consequens producet absque mutatione que subiectum requirit.

[28] Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod nulli
275 creature potest communicare quod agat nullo presupposito ex parte agentis, hoc enim est proprium primi agentis. Sed agere nullo presupposito ex parte facti potest communicari alii a primo agente.

Et ad probationem dicendum est quod secundum ordinem institutum agens creatum agens per artem supponit aliquid productum per agens naturale, non quia agit per artem (cum Deus 280 qui nihil supponit, agat per artem) sed quia forma rei artificiande ad quam solam producendam se extendit uirtus talis agentis est ordo uel compositio que nulla uirtute potest esse nisi in ordinatis et compositis. Et similiter agens naturale supponit materiam a Deo productam, quia agit per solam formam (que est altera pars 285 compositi) et que non potest producere nisi formam que de natura sua est altera pars compositi, nec effectus productus sit perfectior suo principio productiuo. Sed ex hoc non sequitur quin Deus possit producere aliquam creaturam puta intelligentiam que se tota ageret producendo aliquid aliud secundum se totum. 290

[29] Ad secundum dicendum per interemptionem minoris, quia creatio non habet proprie terminos, ut supra probatum fuit uel si aliquo modo toleretur quod ens et nihil sint termini creationis, inter tales terminos cum non sint ambo positiui nulla est distantia, ut similiter fuit ostensum, uel si est aliqua distantia illa non est infinita. 295 Et quanuis hoc fuerit sufficienter probatum, tamen ad maiorem euidenciam notandum est, quod quando extrema distantie sunt mediata, tunc tanta est distantia quanta est quantitas medii interpositi, siue sit quantitas extensiuua, siue intensiuua, ut patet in distantia terminorum quantitatuorum, et in distantia qualitatum 300 contrariarum habentium medium. Sed quando distantia est inter extrema immediata, tunc tanta est precise distantia extremorum quantum unum extremum est maius altero. Quod patet, quia ubi non est medium inter extrema nihil aliud est ibi distantia, nisi excessus unius extremi super alterum. Aliter enim non potest ibi 305

sumi. Cum igitur ens finitum creatum non excedat in infinitum nihil sibi correspondens, quia non excedit nisi tantum quantum ipsum est, patet quod non est ibi distantia infinita. Ex quo patet quod illud quod assumitur ad probationem istius minoris, non est uerum scilicet
 310 quod inter quodcunque ens et nihil sibi correspondens fit tanta distantia quod non possit dari maior, quia sicut est maior excessus Dei ad non Deum, uel totius entis ad totum non ens, quam sit istius entis puta lapidis ad | non ens sibi correspondens, sic maior est *π130ra* distantia Dei a non Deo, uel totius entis a toto non ente, quam sit
 315 huius entis puta lapidis a non ente sibi correspondente.

[30] Per idem apparet ad secundam confirmationem eiusdem minoris, scilicet quod non est eadem distantia inter omnia contradictoria, quia maior est distantia inter Deum et non Deum, et inter totum ens et nihil, quam sit inter aliquod ens creatum et nihil
 320 sibi correspondens.

[31] Ad tertium dicendum est quod inter ens et nihil nulla est proportio, quia alterum est positium et alterum pure negatium, et positiui ad non positium nulla est proportio. Similiter nulla est proportio distantie que est inter duo entia creata ad distantiam si qua
 325 sit inter ens creatum et nihil, non propter infinitatem alicuius earum, sed quia una est positiua et inter extrema positiua, altera uero habet unum extremum negatium. Ex ista autem improportione non sequitur quod uirtus que potest super unam distantiam sit improportionabilis uirtuti que potest super aliam, ut patet per
 330 exemplum simile. Nulla est enim proportio distantie inter lumen et tenebras ad distantiam caloris a frigiditate, cum tamen quelibet sit finita, et eadem uirtus solis potest super utranque, quia erem de tenebra deducit ad lumen, et de frigiditate ad calorem.

[32] Ad quartum dicendum quod non oportet quod illud quod producit totam rem agat se toto, sed sufficit quod illud per quod agit 335 contineat uirtualiter omne illud quod producitur. Concedendo etiam maiorem. Potest dici ad minorem quod Deus potest facere creaturam que se tota agat, puta intelligentiam aliquam que non haberet materiam partem sui, sed secundum se totam esset actus et ageret, nec propter hoc esset actus primus, quanuis non esset actus permixtus 340 potentie que est materia

[33] Ad quintum dicendum quod actio que est sine motu, est idem cum termino producto, nisi quod includit respectum ad producens. Et ideo non est necesse quod requirat subiectum preter productum, nisi natura producti hoc habeat. Propter quod cum agere sine motu 345 possit communicari creature, non oportet quod omnis actio eius supponat subiectum quantum est ex natura actionis ex qua sola procedit argumentum.

[34] Ad sextum dicendum est quod si agens instrumentale uocetur omne illud quod supponit aliquod aliud agens, sic omnis creatura in 350 actu suo quantuncunq; naturali est agens instrumentale, quia supponit primam causam cui innititur in esse, et per consequens in agere. Et tale instrumentum non oportet quod agat ut motum uel per motum, quia neque angelus mouetur quoquam motu ad hoc ut agat, neque celum necesse esset moueri, ut quidam dicunt ad hoc ut ageret. 355 Rursus agens naturale non oportet quod disponat ad effectum ulterioris agentis. Alioquin omnem actionem naturalem sequeretur effectus qui esset a primo agente, quod non est uerum. Si uero agens instrumentale uocaretur solum illud quod de se non exiret in actum,

360 nisi speciali motione facta circa ipsum (sicut est in securi) sic uerum
 est quod assumitur, et tale agens non posset creare huiusmodi
 actione. Non oportet autem quod omnis creatura sit instrumentum
 Dei hoc modo, quia nec est etiam in actionibus naturalibus, ut
 dictum est.

365 [35] Ad rationes per quas probatur idem per inductionem in
 creaturis diuersis. Respondendum est. Et primo ad illam per quam
 probatum est quod angelus non possit creare. Dicendum est quod
 nec maior probatur sufficienter, nec minor. maior non, quia aliquis
 actus preexigitur termino actionis, qui nec est productio termini, nec
 370 principium formale productiuum, sed est directiuus uel inclinatiuus
 siue explicatiuus principii productiui respectu productionis et termini
 producti. Et istud est in omni agente per cognitionem seu per artem,
 quia intelligere et uelle que necessario preexiguntur termino producto
 non sunt productiones, nec principia formalia productiua sed unum
 375 eorum (scilicet intelligere) est directiuum, et aliud scilicet uelle est
 inclinatiuum seu applicatiuum principii actiui ad agendum, ut patet
 in actione que sit per artem humanam, quia intelligere et uelle solum
 applicant membra corporis in quibus est uirtus seu potentia faciendi
 opera artis, et idem est in operibus naturalibus que preexigunt
 380 cognitionem tam in homine quam in brutis. Homo enim | generat *π130rb*
 hominem, et equus equum precognoscendo et appetendo, sed
 cogitare et appetere non sunt generare, nec principia formalia quibus
 sit generatio, sed solum applicantia actiua passiuus. Et idem esset de
 igne, si generaret ignem precognoscens et uolens.

[36] Ex quibus patet quod non omnis actus qui necessario 385
 preexigitur termino actionis est productio uel formale productiuum
 termini. Sed est quandoque actus directiuus uel inclinatiuus principii
 actiui respectu actionis, et tali actui solum per se conuenit quod sit
 directiuus et inclinatiuus, quod autem sit substantialis uel accidentalis
 hoc accidit et uariari potest. Et sic patet quod maior propositio non 390
 est probata.

[37] Item nec minor sufficienter probatur. Habet enim duas partes.
 Vna est quod angelus nihil producit nisi intelligendo et uolendo, et
 hec conceditur. Alia est quod intelligere et uelle angeli necessario sunt
 accidentia, et hoc non bene probatur, imo ad eius probationem 395
 assumitur unum manifestem falsum, uidelicet quod non repugnant
 intellectui angelico distincte intelligere quecunque intelligit, etiam si
 intelligibilia essent infinita alterius rationis, et ita separata quod
 nullum eorum esset principium cognoscendi alterum. Hoc enim est
 impossibile, quia aut esset per unicam intellectionem, aut per plures. 400
 Non per unam, quia illa esset infinita, ut ipsimet dicunt. Neque per
 plures, quia ille necessario essent infinite numero, cum nullum
 eorum esset ratio intelligendi alterum, et sic essent tot intellectiones
 quot essent intelligibilia. Hoc autem non posset esse. Primo, quia
 intelligendo unum post alterum distincta intellectione nunquam 405
 poterit deueniri ad infinitum actu. Secundo, quia si esset deuentum
 aliqua illarum intellectionum esset infinita, quia cum intellectiones
 sint alterius et alterius rationis, et per consequens alterius
 perfectionis, si esset in eis processus in infinitum esset deuentum ad
 aliquam intellectionem infinitam, quia semper producendo augetur 410
 perfectio, et sic impossibile est quod angelus possit intelligere simul
 uel succesiuue per unam intellectionem uel plures, intelligibilia infinita

alterius rationis quin semper sequatur intellectionem aliquam esse infinitam, quod est impossibile, unde sicut infinitas specifica
 415 repugnant enti, ut probatum fuit primo libro, sic repugnant cognoscibilitati.

[38] Si autem isti dicerent quod non repugnat intellectui angelico intelligere omnia intelligibilia diuersarum rationum que sunt et esse possunt eum talia sunt finita, concedendum est eis, sed non esset
 420 concedendum quin hoc posset fieri per unam intellectionem. Nam intellectus beatus humanus uel angelicus uidens Deum uidet in ipso omnes res creatas et creabiles quantum ad suas quidditates specificas, ut probabitur lib. IV. Et tamen cognitio beata intellectus angelici uel humani est finita, unde ex sola finitate non potest sufficienter argui
 425 quod angelus non possit intelligere omnia intelligibilia naturalia unica intellectione que sit substantia.

[39] Ad aliam rationem per quam probatur quod nulla forma materialis potest creari ab aliqua creatura. Respondendum est per interemptionem minoris. Omnis enim forma a quocunque producta
 430 prius ordine nature, est aliquid in se quam unita materie, quanuis simul sint secundum tempus, quia unio uel compositio supponit omnia unibilia seu componibilia, sed non e conuerso, nec propter hoc potest forma materialis per se existere sine materia uel subiecto, quia multa quorum unum est prius altero ordine nature sunt
 435 inseparabilia duratione, ut subiectum et sua passio, et omnia accidentia que dicunter inseparabilia.

<QVESTIO QVINTA

VTRVM DEVS AGAT IMMEDIATE IN OMNI ACTIONE CREATURE>

[1] Circa tertium principale queruntur duo. Primum est utrum Deus agat immediate in omni actione creature. Secundum est utrum Deo conueniat agere propter finem. Ad primum sic proceditur quod Deus 5
 π130va agat immediate in omni actione creature, | quia sicut se habet unitas ad constituendum numeros in ratione cause materialis, sic se habet Deus ad creaturas in ratione cause agentis. Sed unitas immediate sic se habet ad numeros quos sui additione cum aliis numeris constituat omnem numerum preter binarium quem ipsa per seipsam uel in se 10 replicata constituit, addita enim binario constituit ternarium et addita ternario constituit quaternarium, et sic de omnibus, ergo similiter Deus cum aliis agentibus immediate producit omnem effectum preter primum quem producit per seipsum solum.

[2] Item sicut se habet esse ad esse, sic agere ad agere, sed creatura 15 omnino non esset nisi Deus immediate ei adesset, ergo creatura aliquid non ageret nisi Deus immediate coageret.

[3] In contrarium est, quia si Deus immediate ageret omnis actio creature superflueret, hoc autem est inconueniens, ergo et cetera.

[4] Responso. Hec questio unum supponit, et aliud querit. 20 Supponit quod tam Deo quam creature competit agere. Alioquin questio non haberet locum. Et de Deo quidem nulla est dubitatio cum demonstratum sit a Philosopho totum uniuersum ab uno

principio quod dicimus Deum. De creatura autem quanuis aliqui
 25 pauci quandoque senserint quod omnino nihil agat, puta quod ignis
 non calefacit, sed Deus creat calorem, et sic de omnibus, tamen quia
 hec opinio tollit a rebus proprias operationes tollit etiam iudicium
 sensus quo experimur res creatas inuicem agere, ideo nunc ab
 omnibus refutatur tanquam improbabilis.

30 [5] Supposito ergo quod Deus et creatura agant, queritur utrum
 Deus agat in omni actione creature immediate, et dicunt aliqui quod
 sic. Et hi bifurcantur. Quidam enim dicunt *tales effectus fieri a Deo*
inquantum habent esse, a creatura autem inquantum habent esse
determinatum. Quod nituntur sic probare: *Nullius rei totum esse sumit*
 35 *principium ab aliqua creatura cum ad esse rei faciat materia que a solo*
Deo creatur. Ad distinctionem autem esse nihil facit materia, sed
 solum forma quam creatura etiam in presupposita materia inducit.
 Ex hoc sic, *Deus creans materiam operatur immediate ad esse rei,*
creatura autem dans formam ad esse distinctum. Esse autem est magis
 40 *intimum rei quam ea per que terminatur, unde remanet aliis remotis*, ut
 dicitur prima propositione *D e c a u s i s*, ergo in omni re Deus est
 tam intimus et immediatius operans quam aliqua creatura.

[6] Hec autem responsio non uidetur esse ad propositum. Assumit
 etiam falsum. Quod non sit ad propositum patet, quia aliud est

24 aliqui] cf. Auerr., *Metaph.*, IX, 7 (38,39-43); XII, 18 (305rF); Maimon., *Dux neutr.*, I, 52 (29v)

aliqui ... 28 agere] ap. Thom., *Super Sent.*, II, I, I, 4, sol. (24); *S.th.*, I, 105, 5, resp.; *De pot.*, 3, 7, resp. (56b); *De uerit.*, 5, 9, ad 4 (165,327-331); *S.c.g.*, III, 69 (302a-b); cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, I, I, 2, 6, resp. (30bA)

32 tales ... 34 determinatum] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (207,6-7)

34 Nullius ... 36 creatur] Thom., *Super Sent.*, II, I, I, 4, sol. (25)

38 Deus ... 39 distinctum] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,13-14)

39 Esse ... 41 causis] Thom., *Super Sent.*, II, I, I, 4, sol. (26); *ex Lib. de causis*, I, 1-2 (134,1-5)

41 ergo ... 42 creatura] cf. Thom., *Super Sent.*, II, I, I, 4, sol. (26); *S.th.*, I, 105, 5, resp.

dicere quod Deus producat immediate aliquid quod est in creatura 45
 scilicet materiam que est altera pars substantie composite quod
 utique uerum est, nec hoc queritur questio. Aliud est dicere quod
 Deus immediate producat omne illud quod producit creatura. Cum
 enim actio creature attingat formam ut terminum sue actionis et non
 materiam (ut ipsimet dicunt) querimus utrum ipsam formam rei 50
 naturalis ad quam immediate attingit actio creature attingat etiam
 necessario actio Dei immediate, ipsi autem pertractant primum et
 non secundum, ut patet ex medio quod adducunt, et ideo non est ad
 propositum. Assumitur etiam falsum, quod enim dicunt, quod esse
 intimius est rei quam ea que ipsum determinant, si intelligitur quod 55
 esse in potentia sit intimus rei quam esse in actu per quod
 determinatur, falsum est. Sicut enim per formam quelibet res est
 uerius id quod est quam per materiam (ut dicitur II
 P h y s i c o r u m) sic esse actu est uerius et intimius esse rei quam
 esse in potentia. Si autem intelligatur quod esse actuale in sua 60
 communitate sumptum intimius est rei quam ea per que
 determinatur ad hoc esse uel illud quod est esse uiuens uel
 intellectuale, tunc uariatur propositum, ut de se patet. Quod etiam
 non uidetur uerum, quia que penitus sunt idem, unum non est
 intimius rei, sed esse et determinatum esse in una et eadem re, sicut 65
 in planta sunt idem re, *uiuere enim in uiuentibus est esse*, ergo unum
 non est rei intimius quam alterum loquendo realiter, secundum
 rationem tamen esse in communi intimius est rei quam perfectiones
 determinantes ipsam. Et secundum intellectum nostrum prius
 aduenit et posterius recedit. Separatur enim secundum rationem ab 70

58 ut ... 59 Physicorum] cf. Arist., *Phys.*, II, 1, 193b3-8

66 uiuere ... esse] Arist., *De an.*, II, 4, 415b13: transl. Guillelmi

aliis, quia communius ut in preallegata propositione dicitur. Sed ex hoc non potest haberi quod Deus immediatius operetur in omni re quam aliqua creatura, imo nec quod operatur immediate, quia uniuersalia non fiunt nisi factione singularium, et ideo res non sunt
 75 ab aliquo inquantum habent esse, nisi quia sunt ab eodem inquantum habent determinatum esse, cuius oppositum pro conclusione ponit hec opinio.

[7] Alii tenent eandem conclusionem, sed alio modo quo ad aliquid. Dicunt enim quod duo sunt genera affectuum: quidam enim
 80 sunt solum a solo Deo creatura nihil cooperante, ut angelus uel celum, et tales *effectus* sunt *a Deo immediate et totaliter*, id est, secundum omnem modum, et de illis non procedit questio. Alii sunt effectus causarum secundarum non solius Dei, et de istis est questio. De quibus dicunt quod sunt *a Deo toti immediate, non*
 85 *totaliter* hoc est, non secundum omnem modum, quod declarant, quia ut dicunt *Deus agit uniformiter in omnibus rebus quantum est de se, ita quod* tota diuersitas in effectibus est ex diuersitate recipientium influentiam diuinam propter diuersitatem suarum naturarum. Et ideo *effectus ex ea parte qua sunt ex causis secundis* habent
 90 *distinctionem*, et non ex parte Dei. Sic igitur res inquantum sunt a Deo sunt, quia in hoc non distinguuntur, inquantum autem habent esse distinctum sunt a causis secundis per quas distinguuntur: uerbi gratia: *In re uiuente idem est penitus uiuere et esse, et ideo notum est immediate a Deo, et totum immediate a secundo agente*, sed non

79 Dicunt ... 85 modum] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,19-22); cf. etiam *Ord.*, II, I, I, 2, 6, resp. (32aA)

85 quod ... 90 Dei] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,22-28); cf. etiam *Ord.*, II, I, I, 2, 6, resp. (31bDsq.)

92 uerbi ... 99 distinctio] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,28-35)

eodem modo, quia ex parte ipsius esse non est distinctio in rebus, sed 95
per uiuere distinguitur una res ab alia, propter quod Deus dat esse et
uiuere, sed solum sub ratione ipsius esse in quo nihil distinguitur.
Creatura uero dat totum illud sub ratione qua est uiuere ex parte
cuius est in rebus distinctio.

[8] Pro hac autem opinione esse uidetur dictum ARISTOTELIS II 100
P h y s i c o r u m , capitulo De causis, ubi dicit quod effectus
particularis reducitur in causam particularem, et uniuersalis in
uniuersalem, sed esse est uniuersalissimus effectus, ergo reduci debet
in causam uniuersalem que est Deus, uiuere autem cum sit effectus
particularis debet reduci in causam secundam particularem, ut 105
rationes effectuum correspondeant rationibus causarum.

[9] Hec autem opinio deficit in se et in sua ratione. Quod enim
dicit quod *Deus uniformiter agit in omnibus*, nec est diuersitas in
rebus nisi ex causis secundis, falsum est, quia secundum hoc
impossibile esset quod plura et distincta fierent a Deo sine causis 110
secundis, et ita Deus non posset diuersa creare, quod est falsum. Et
contradicit primo dicto eorum scilicet quod *effectus qui sunt a solo
Deo sunt toti ab eo et totaliter*, hoc est secundum omnem modum
inquantum habent esse, et inquantum habent esse distinctum.

[10] Item agere semper uniformiter, et nullo modo difformiter est 115
conditio agentis naturalis et non uoluntarii, dicere ergo quod Deus
quantum est ex parte eius semper agat uniformiter, et nullo modo
difformiter est idem, ac si diceretur Deus agit ex necessitate nature et
non ex libera uoluntate, quod est falsum. Ratio etiam per quam

100 Pro ... 104 Deus] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 1, 4 (T70vb; Vb42rb)

Aristotelis] cf. Arist., *Phys.*, II, 3, 195b22-30

107 Hec ... 109 secundis] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,22-28)

112 effectus ... 113 totaliter] Aeg. Rom., *Report.*, II, 8 (208,19-20)

120 probant suum propositum non ualet. Quod enim assumunt quod effectus particularis reducitur in causam particularem, et uniuersalis in uniuersalem est intelligendum de particulari et uniuersali per predicationem consimiliter in causa et effectu, ut patet per exempla que ponit ibidem PHILOSOPHUS, *ut statue quidam statuam faciens, hic*
 125 *autem huius*, ita quod, sicut non est aliud re statua et hec statua, sed de ratione tantum, sic non reducitur in causas diuersas re, sed tantum ratione que sunt statuifica et hec statuifica. Et similiter in proposito cum esse et uiuere in eodem differant solum ratione reduci debent solum in causas differentes ratione, ita quod solum est una causa re
 130 que dat esse et uiuere immediate, sed sub diuersis rationibus, esse quidem inquantum ipsa est ens actu, et aliud solum in potentia, uiuere inquantum est uiuens actu, et aliud uiuens in potentia. Semper enim quod est tale in potentia fit ab eo quod est actu tale, et ita non oportet esse et uiuere in eodem secundum rationes eorum
 135 differentes reducantur immediate in causas realiter diuersas, puta uiuere in causam secundam, esse autem in causam primam que est Deus.

[11] Ideo dicendum est aliter quod ea que fiunt a Deo mediantibus causis secundis non fiunt ab eo immediate sicut ipsemet rationes
 140 terminorum uidentur sonare. Quod apparet primo sic, si Deus ageret immediate ad productionem | effectuum cause secunde (ut cum *ignis* ^{*π131ra*} *generat ignem*) aut ageret eadem actione qua creatura, aut alia. Non eadem propter duo. Primo, quia illam potest habere creatura sine speciali influxu Dei (supposita conseruatione sue nature et sue
 145 uirtutis actiue) quia actio que non excedit uirtutem speciei agentis

124 ibidem ... 125 huius] Arist., *Phys.*, II, 3, 195b26-27: transl. uetus

141 ignis ... 142 ignem] Thom., *In Metaph.*, VII, 8, n.1444 (353b)

sufficienter elicitur a sola uirtute speciei, frustra ergo poneretur principium aliud immediatum eliciens talem actionem.

[12] Secundo, quia impossibile est eandem actionem numero esse a duobus uel pluribus agentibus ita quod a quolibet sit immediate et perfecte, nisi in illis sit eadem uirtus numero. Sed in Deo et creatura 150 non potest esse eadem uirtus numero, ergo impossibile est quod eadem actio numero sit ab utroque immediate et perfecte. Actio autem creature, immediate est a creatura et perfecte, cum non excedat uirtutem sue speciei, ergo eadem actio non est immediate a Deo. Minor de se patet. Sed maior probatur, contingit enim quod 155 eadem actio numero sit a duobus et a quolibet perfecte, sed ab uno immediate, ab alio uero mediate, quia eandem actionem quam facit causa propinqua immediate facit causa uniuersalis et remota perfecte inquantum dat uirtutem cause proxime, et datam conseruat, et hoc est mediate solum. Alio modo contingit eandem actionem numero 160 esse duorum immediate, sed a neutro perfecte, ut cum duo trahunt nauem, uel due candele causant unum lumen, quia a neutro est perfecte tractus nauis, et a neutra candela est per se et perfecte illuminatio aeris, in talibus enim duo agentia imperfecta supplent uicem unius agentis perfecti. Si autem actio sit immediate et perfecte 165 a quolibet, non apparet modus possibilis, nisi in utroque eorum sit idem principium uel eadem uirtus numero, propter hoc enim dicimus quod in diuinis pater et filius una numero spiratione spirant spiritum sanctum et quilibet perfecte, quia in eis est uis spiratiua una numero. Vera est ergo propositio maior, scilicet quod eadem actio 170 non potest esse a duobus uel pluribus ita quod a quolibet sit perfecte et immediate, nisi in eis sit eadem uirtus secundum numerum. Minor autem de se manifesta est, sequitur ergo conclusio, scilicet

quod Deus ad effectum cause secunde non agit immediate eadem
175 actione cum creatura.

[13] Item nec alia, quia aut una illarum actionum prius attingeret
productum quam alia, aut non, sed utraque simul. Non una prius
quam alia, puta actio Dei prius quam actio creature, quia si Deus sua
actione prius rem totam produceret, tunc creatura per suam actionem
180 sequentem nihil faceret. Et e conuerso si actio creature precederet
actionem Dei. Nec potest dici quod Deus producat partem et
creatura partem, quia hoc querimus, utrum illud idem quod producit
creatura immediate producat, etiam immediate Deus. Prius enim fuit
concessum quod in qualibet creatura materiali est aliquid quod est a
185 Deo immediate, scilicet materia.

[14] Item nec utraque actio simul attingit productum, quia si hoc
esset, altera superflueret, cum una sufficiat ad totum producendum.
Et preterea actiones uidentur esse idem realiter cum suis terminis,
unde et ab illis sumunt denominationem. Impossibile est ergo ad
190 acquirendum eandem formam numero esse diuersas actiones. Patet
igitur quod ea que producuntur per actionem creature non
producuntur a Deo immediate. Posset tamen Deus ea immediate
producere si uellet, sed tunc creatura nihil ibi ageret.

[15] Secundo patet idem sic, ordo agentium correspondet ordini
195 finium, sed unius rei non possunt esse duo fines immediati et
perfecti, ergo nec duo agentis, nisi forte supplerent uicem unius
agentis modo quo dictum est de trahentibus nauem, quia
consimiliter possent esse duo immediati fines.

[16] Ad primum argumentum dicendum est per interemptionem
200 minoris. Non enim unitas sui additione cum aliis numeris causat
numeros, imo ipsa sola sui replicatione causat omnem numerum

materialier. *Sex enim* non sunt quinque et unum, sed *semel sex* uel sex unitates, numerus enim non habet aliam materiam quam unitatem. Est enim *numerus ex unitatibus* multitudo collecta. Et eodem modo Deus omnia immediate produceret si uirtutem producendi aliis non 205 communicasset.

[17] Ad secundum dicendum quod non est simile de esse et de agere, quia esse cause secunde puta intelligentie, uel corporis celestis *π131rb* est immediatus effectus cause prime que | est causa eius immediata non in fieri solum, sed conseruando in esse. Et ideo causa secunda 210 non esset nisi ei causa prima immediate coexisteret. Sed agere cause secunde non est immediatus effectus cause prime. Et ideo non oportet quod Deus ad talem actionem immediate coagat, sed solum mediate conseruando naturam et uirtutem cause secunde.

<QUESTIO SEXTA

VTRVM DEO COMPETAT AGERE PROPTER FINEM>

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod Deo non competat agere propter finem, quia omne agens propter finem uidetur mouens motum. Finis enim mouet agentem, et ideo appetibile mouet 5 appetentem, ut dicitur XII *Metaphysice* et III *De anima*, sed Deus agit immobilis existens, ergo et cetera.

202 Sex ... 203 unitates] Arist., *Metaph.*, V, 14, 1020b8

204 numerus ... collecta] cf. Boeth., *De arith.*, I, 3 (15,2-3); Isid. Hisp., *Etymol.*, III, 3, 1; Auic., *Metaph.*, III, 3 (114,31)

6 ut ... Metaphysice] cf. Arist., *Metaph.*, XII, 7, 1072a25-31

De anima] Arist., *De an.*, III, 15, 433b11

202 semel] alias solum *i.m. add. π*

[2] Item si Deus ageret propter finem, aut propter finem qui est ipse, aut propter finem alium a se, non propter finem qui est ipse, 10 quia habito fine cessat actio propter finem, Deus autem semper seipsum habet ut sic loquamur, nunquam ergo propter se agit, nec propter finem alium a se, quia finis melior est iis que sunt ad finem, Deo autem nihil potest esse melius, ergo et cetera.

[3] In contrarium est quod dicitur V *Metetaphysice* quod 15 omnis intellectus operatur causa alicuius. Sed Deus agit per intellectum, ut apparet ex I libro dist. 35. Ergo operatur alicuius causa, sed hec est ratio finis (scilicet cuius gratia fit aliquid) ergo et cetera.

[4] Responsio. Dicunt quidam quod Deus agit propter finem qui 20 est sua bonitas. Quod declarant sic, duplex est finis. Finis operis et finis operantis. Et differunt, quia finis operis est quandoque in alio quam in operante sicut finis edificationis est domus, et uniuersaliter finis operationis est res operata ubicunque operatio transit in materiam exteriorem. Finis autem operantis est illud quod 25 principaliter intendit operans, et est semper in operante, sicut finis domificatoris non est domus, sed utilitas quam domificator intendit ex ea. Et horum duorum finium primus reducitur ad secundum. Finis enim operis que est res operata (ut domus) ordinatur ad finem operantis qui est habitare in domo uel aliquid tale.

14 In ... 18 cetera] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 1, 2, 1, sed contra 2 (45)

V *Metetaphysice*] cf. Arist., *Metaph.*, II, 2, 994b16

16 ut ... 35] cf. supra, I, 35, 1, 5

19 quidam ... 29 tale] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 1, 2, 1, sol. (45); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 1, 3, 1 (13a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 1, 2, 1, 2, resp. (79aA-B);

[5] Ex hoc sic arguitur, ubicunque est finis operis, ibi est dare finem 30
operantis, sed in omni actione diuina transeunte in materiam
exteriorem est aliquis finis operis (scilicet res operata uel producta).
Ergo oportet quod sit ibi aliquis alius finis operantis qui sit in ipso
operante. Hoc autem non est in Deo nisi sua bonitas propter quam
agit quicquid agit non enim agit ut ipsa acquiratur, sed ut 35
communicetur, quia Deus non agit ex desiderio finis non habiti, sed
ex amore finis habiti quem uult communicari et plurificari quantum
est possibile.

[6] Hic autem uidetur esse duplex defectus. Primus de
distinctione que ponitur, scilicet quod alius est finis operis et alius 40
operantis. Hoc enim non uidetur, quia finis operantis dupliciter
intelligi potest, uno modo qui est ipsius operantis ut quedam res est
puta Sortes uel Plato: et hoc modo impossibile est in quacunque
actione dare finem operantis, quia nec res operata, nec aliqua utilitas
inde proueniens est illud ad quod sicut ad finem ordinatur Sortes uel 45
Plato. Sed magis e conuerso res operata et utilitas inde proueniens
ordinantur ad Sortem operantem sicut ad finem, ut postea magis
patebit. Alio modo dicitur finis operantis qui est ipsius in quantum
est operans. Et hoc modo non potest esse alius finis operis et
operantis, quia operans non est operans nisi operatione, nec operatio 50
est nisi alicuius operantis, ergo quod est finis operantis in quantum est
operans est et finis operis uel operationis ratione cuius dicitur
operans, et quod est finis operis est et finis operantis, et nunquam

30 ubicunque ... 38 possibile] cf. Thom., *Super Sent.*, II, I, 2, I, sol. (46); cf. etiam Aeg.
Rom., *Ord.*, II, I, 2, I, 2, resp. (79aC-D)

41 operantis²] alias operata *i.m. add. π*

alius huius et alius illius, sed unus et idem, et si sint plures uterque
 55 est finis operis et operantis ordine quodam, quia unus est principalis,
 alius autem non, sed est finis sub fine, ut patet in exemplo adducto
 de domo et habitatione.

[7] Quod autem dictum est, intelligendum est de fine per se. Nam
 secundum accidens aliquid potest esse finis operantis, hoc est
 60 intentus ab operante qui nullo modo est finis operis per se, sicut
 astutus et calumniosus edificat domum | in alieno solo ut prescribat, *π131va*
 ad quod tamen opus secundum se non ordinatur, sed solum ex
 intentione operantis, et solum potest hoc esse in agentibus a
 proposito in quibus agens potest sibi uoluntarie finem prestituere ad
 65 quem actio non ordinatur per se, in pure autem naturalibus non
 uideo quod habeat locum.

[8] Secundus defectus uidetur esse in principali conclusione que
 ponit quod Deus agit per bonitatem suam, ut communicetur, quia
 idem non est finis sui ipsius, sed Deum producere creaturam et
 70 communicare ei bonitatem suam est realiter unum et idem,
 productio enim effectus non solum ad Deo, sed etiam a quocunque
 agente nihil aliud est quam quedam communicatio forme agentis,
 ergo unum non est finis alterius.

[9] Dicendum est ergo quod ista questio potest dupliciter intelligi.
 75 Vno modo utrum Deus agat propter finem qui sit finis ipsius Dei
 agentis. Alio modo utrum agat propter finem qui sit finis actionis
 diuine et rei producte per eam. Primo modo intelligendo questionem,
 dicendum quod Deus non agit propter finem. Cuius ratio est, quia
 finis melior est his que sunt ad finem, sed Deo nihil est melius, ergo
 80 Deus non potest agere propter finem qui sit finis ipsius agentis. Si
 autem intelligitur secundo modo, sic dicendum est quod Deus agit

propter finem qui est sua bonitas que est finis omnium actionum Dei et rerum per eum productarum. Quod patet sic, cum Deus agat per uoluntatem illud quod est ab eo propter aliud uoliturum est ab eo propter aliud productum, sed omne aliud a Deo est ab ipso uoliturum 85 propter aliud, (scilicet propter bonitatem suam,) ergo quodlibet productum a Deo est ab ipso productum propter suam bonitatem. Maior patet sed minor probatur, quia sicut se habet entitas diuina ad intellectum diuinum sic sua bonitas ad suam uoluntatem, sed obiectum particulare intellectus Dei est sua entitas siue essentia, alia 90 autem non nisi in quantum in ea re lucent et eam participant, ergo obiectum uoluntatis diuine per se est eius bonitas tanquam propter se uolita, alia autem non, nisi propter eam et in ordine ad eam.

[10] Sed hic est unum dubium, cum enim finis ultimus sit propter se amatus, oportet quod sit illud cui bonum uolumus et non bonum 95 quod alii uolumus, quia tale non amatur propter se, sed propter illum cui tale bonum uolumus. Et similiter cum creatura ametur a Deo non propter se, sed propter bonitatem suam, oportet quod creatura sit bonum quod Deus uult sue bonitati, hoc autem qualiter sit uerum non clare apparet, quia nihil creatum uidetur credere in bonum Dei. 100

[11] Dicendum ad hoc quod aliquid est bonum alterius dupliciter. Vno modo formaliter, sicut sanitas est bonum hominis, et sic nihil creatum potest esse bonum Dei. Alio modo aliquid est bonum alterius non formaliter, sed quia est signum bonitatis formalis, et sic honor dicitur esse bonum honorati, quia est signum reuerentie que 105 debetur ratione bonitatis. Et hoc modo cum creature representant

90 obiectum ... essentia] cf. supra, I, 35, 1, 8-12

83 rerum] alias eas *i.m. add. π*

diuinam bonitatem, creature sunt bonum a Deo uolitum, et sunt
 bonum ipsius modo quo dictum est. Sic igitur Deus agit quicquid
 agit propter finem qui est sua bonitas, et sicut dictum est de Deo
 110 quod agit propter se, sic puto uerum esse de homine respectu eorum
 que producit per artes, quia omnis res artificialis habet rationem boni
 utilis, sicut scamnum est utile ad sedendum, liber ad studendum,
 arma ad protegendum, et sic de aliis. Ars enim est ad subueniendum
 defectibus nature. Et ideo omnia artificialia fiunt propter aliquam
 115 utilitatem quam homo ex eis consequitur. Bonum autem utile non
 potest habere rationem ultimi finis, sed semper ordinatur ad ulterius
 bonum. Et ideo omnia artificialia finaliter ordinantur ad hominem,
 iuxta illud quod dicit PHILOSOPHVS II P h i s i c o r u m loquens de
 artificialibus, quod *nos sumus quondammodo finis* omnium, aliter
 120 tamen quam Deus homo est factor artificialium ad supplendum
 indigentiam suam, Deus uero factor est omnium propter suam
 condescendentiam. Iuxta quod est intelligendum quod cum Deus agat
 per uoluntatem cuius obiectum est bonum, oportet quod creatura uel
 productio creature preconciatur sub aliqua ratione boni, non sub
 125 ratione boni utilis, quia bonorum nostrorum non indigent, bonum
 enim utile est ad supplementum alicuius defectus qui non potest esse
 in Deo, neque delectabilis, quia bo- | -num delectabile ut distinguitur π131vb
 contra et honestum pertinet ad sensum, ergo sub ratione honesti.
 Honestum autem est quod condecet facientem maxime quando non
 130 est ad faciendum obligatus, sicut actus liberalitatis qui non est
 debitus, sed gratuitus maxime condecet diuitem abundantem. Et
 secundum hunc modum condecet diuinam uoluntatem que est

fecundissima communicari creaturis in earum productionem in quibus relucet et manifestatur sua bonitas, ita quod talis condecencia est ratio propter quam res producuntur. Et sic est intelligendum quod 135 dicitur Prou. 16: *Vniuersa propter semetipsam operatus est Dominus.* Et illud DIONYSII quarto capitulo *De diuinis nominibus* quod diuina bonitas *non dimisit eum sine germine* esse, hoc est condecencia diuine bonitatis.

[12] Ad primum argumentum est dicendum quod finis mouet 140 agentem illum duntaxat qui de non uolente fit uolens, quod non est dicere de Deo qui (et si aliquid de nouo producat) non tamen uoluntate noua, sed eterna, et ideo mouet totaliter immobilis existens. Et propter aliud, quia finis principaliter uolitus a Deo non est aliud ab ipso, et illud non mouet seipsum. 145

[13] Ad secundum dicendum quod Deus agit propter finem qui est ipse. Et quod dicitur quod habito fine cessat actio propter finem, intelligendum est de proximo fine operationis que est res operata qua producta cessat actio producentis, sed non conseruans nisi sint eadem. Potest etiam uerum esse de fine qui mediante re operata 150 acquiritur, sicut est habitatio domus, quia et tales actiones, et producta per eas sunt propter supplementum alicuius indigentie quo adepto frustra manerent actiones. Sed non est uerum ubi actio est agentis perfecti et nullo indigentis quod agit solum quod condecet suam bonitatem sicut liberalis facit opus liberalitatis, quia condecet 155 eum dato quod nihil aliud deberet sibi propter hoc euenire, et sic agit ea Deus que agit in creaturis. Agit etiam Deus propter alium finem a se, sed iste finis non est simpliciter ultimus uel principalis, sed est

136 Prou... Dominus] *Prou.*, 16,4

137 Dionysii... 138 germine] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (201d): transl. Sarraceni

finis sub fine. Sicut producit herbas propter bruta, et utraque propter
160 hominem. Et cum dicitur quod finis melior est que sunt ad finem,
uerum est. Sed Deus agens non ordinatur ad aliquem finem, quanuis
res per ipsum acta ordinetur ad aliam rem creatam meliorem, propter
quod sequitur quod creaturarum una sit melior altera. Sed non
sequitur propter hoc quod aliquid sit melius Deo.

165

<DISTINCTIO SECVNDA>

[1] *De angelica itaque natura.* Superius determinauit MAGISTER de
creatione rerum in generali, hic uero determinat de eisdem in speciali.
Et secundum hoc ista lectio diuiditur in tres partes. Primo enim
5 determinat de creatura pure spirituali. Secundo de creatura pure
corporali. Tertio de creatura media ex utraque composita. Secunda
incipit in principio distinctionis 12 ibi: Hoc de angelice nature. Tertia
in principio 16 distinctionis ibi: His excursis, quod supra de hominis
creatione. Prima in duas. Primo determinat in generali creationis
10 angelice locum et tempus. Secundo prosequitur de conditionibus
angelorum. Secunda in principio 3 distinctionis ibi: Ecce ostensum
est. Prima pars est principalis lectionis et diuiditur in partes quatuor.
Primo enim determinat tempus creationis. Secundo determinat seu
ostendit ubi creati fuerunt angeli. Tertio recitat determinata. Quarto
15 mouet incidentem questionem et soluit. Secunda incipit ibi: Iam
ostensum est. Tertia ibi: Simul igitur uisibilium. Quarta ibi: Hic

2 De ... natura] Lomb., *Sent.*, II, 2, 1 (336,12)

queri solet de celo empyreo. Prima diuiditur in quatuor. Prima premitit generale proemium ad determinanda. Secundo prosequitur de tempore creationis opponens ad utranque partem questionis intente. Tertio determinat ueritatem, et determinationem confirmat. 20 Quarto remouet quandam obiectionem que posset esse dictis contraria. Secunda ibi: Quedam auctoritates. Tertia: Videtur itaque. Quarta ibi: Hieronymus super epistolam. Hec est diuisio istius lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et primo proponit quod de 25 natura angelica intendit determinare, scilicet quando et ubi angeli sunt creati. Item intendit determinare de creatione angelorum, siue *π132ra* quantum ad conuersionem | siue quantum ad ordinem officiorum, et donorum, et nominum differentiam, et distinctionem. Deinde probat quod ante omnem creaturam creati sunt angeli, quia prima 30 omnium creatura est sapientia, id est, natura angelica. Contrarium tamen probat per auctoritatem, Gen. 6 celum et terra dicuntur primo creata esse. Postea soluit dicens quod creatura rationalis simul creata est et spiritualis scilicet angelica. Quod probat Eccl. 13 ubi dicuntur, *qui uiuit in eternum creauit omnia simul*. Et hanc 35 solutionem confirmat per AVGVSTINVM Super Genesi ad litteram ubi etiam ostendit quod tempus simul cum creaturis creatum est. Deinde adducit auctoritatem HIERONYMI que uidetur contraria. Et dicit quod HIERONYMVS non dicit quasi hoc sentiens, sed opinionem recitans. Postea dicit quod in celo creati sunt angeli, 40 quia de celo corruisse leguntur, et illud celum non est firmamentum

32 Gen ... 33 esse] *Gen.* 1, 1

34 Eccl ... 35 simul] *Eccl.* 18, 1

36 per ... 38 est] cf. Aug. *De Genesi ad litt.* V, 19, 38 (PL 38, 335; CSEL 28-I, 162)

38 auctoritatem ... 39 contraria] cf. Hier. In Tit. 1, 2 (PL 26 [1845], 560 A)

quod uidemus, sed celum empyreum uel igneum a splendore sic nominatum. Et hoc probat per auctoritatem AVGVSTINI. Deinde concludit quod simul creata sunt corporalia. Et dicit quod utraque
 45 creatura fuit informis, quia corporalis creatura prius habuit formam confusionis, siue confusam antequam esset formata et distincta per speciem, spiritualis uero dicitur informis respectu gratie per quam formatur. Vltimo querit, utrum angelus sit creatus in celo in quo demon uoluit conscendere quando peccauit. Et respondet quod illud
 50 celum accipitur pro diuina celsitudine. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

<QUESTIO PRIMA

VTRVM CELVM EMPYREVM SIT LOCVS CORPOREVS>

[1] Circa distinctionem istam queritur de duobus, scilicet de celo empyro et de euo. De celo empyreo queruntur duo. Primum est,
 5 utrum sit locus corporeus. Secundum est, utrum habeat influentiam in alia corpora. Quantum ad primum arguitur quod celum empyreum non sit corpus, quia contemplationi non debetur locus corporeus. Nam contemplatio existens in corpore aliquantulum abstrahit, unde AVGVSTINVS IO De Trinitate quando *aliquid*
 10 diuinum *mente* percipimus, *non in hoc mundo sumus*. Sed celum empyreum dicitur deputatum contemplationi beatorum, ergo non est locus corporeus.

6 celum ... 8 corporeus] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 2, 2, 1, arg. 2 (70-71); cf. etiam *S.th.*, I, 66, 3, arg. 3; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 2, 2, 1 (137aD-bA)

9 Avgvstinvs ... 10 sumus] Aug., *De Trin.*, IV, 20, 28 (199,87-91)

[2] In contrarium sunt STRABVS et BEDA. Dicit enim STRABVS super illo uerbo G e n . 1 *In principio creauit Deus celum et terram: celum enim dicitur <non> uisibile firmamentum, sed empyreum, id est* 15 *igneum.*

[3] Responso. Videnda sunt tria, an celum empyreum sit, ad quid factum sit, et quale sit. *Quod celum empyreum* sit, aut quod sit corpus non potest per rationes necessarias demonstrari, *quia quicquid cognoscimus* de corporibus celestibus, cognoscimus *aut per uisum aut* 20 *per motum* aut ex aliquo effectu in his inferioribus apparente, sed illud celum uisu non comprehenditur *nec subiacet motui*, ut infra dicitur, nec aliquis effectus de illo celo innotescit nobis, et ideo non potest efficaciter probari per rationem quod sit tale celum. Tenemus autem hoc auctoritate sanctorum maxime STRABI et BEDE, 25 nihilominus potest hoc aliqualiter persuaderi, licet non multum efficaciter: Sic, *inter corpora celestia inuenitur aliquid* quod est partim *diaphanum, partim lucidum* (ut *celum stellatum*) *aliquod* quod est omnino *diaphanum*, ut nona sphaera seu *celum cristallinum*, ergo debet aliquod inueniri quod sit omnino *lucidum*, et dicimus hoc 30 empyreum.

[4] Quantum ad secundum, scilicet ad quid factum sit. Quidam dicunt quod *factum* sit principaliter *propter ordinem uniuersi*. Quod

13 In ... 16 igneum] cf. Thom., *S.th.*, I, 66, 3, sed contra; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 2, 2, 1, sed contra (137bA)

14 Gen ... terram] *Gen.* I, 1

15 celum ... 16 igneum] Walafir. Strabo, *Glossa ord.*, *Liber Genesis*, I (68C); Lomb., *Sent.*, II, 2, 4 (340,1-2)

18 Quod ... 25 Bede] Thom., *Super Sent.*, II, 2, 2, 1, sol. (71); cf. etiam *S.th.*, I, 66, 3, resp.; Alb., *Super Sent.*, II, 2, G, 3, sol. (51b)

27 inter ... 31 empyreum] Thom., *S.th.*, I, 66, 3, arg. 4; I, 68, 4, resp.; *Super Sent.*, II, 2, 2, 1, sed contra 3 (71); cf. etiam Beda, *In Pentat.*, I, *Super Gen.*, I (192)

32 Quidam ... 33 uniuersi] Aeg. Rom., *Report.*, II, 10 (210,12-13)

declarant sic: inferiora in entibus secundum sui supremum attingunt
 35 superiora secundum sui infimum, ut uult DIONYSIVS. Nunc est ita
 quod intelligentia est motor immobilis, oportet ergo quod sit aliquod
 corpus attingens ipsam quantum ad immobilitatem quod est eius
 infimum, intellectualitas enim est eius supremum, oportet ergo
 aliquod corpus celeste esse immobile. Et hoc est celum empyreum. Et
 40 ita congruebat ordini uniuersi propter eius connexionem esse aliquod
 tale corpus. Factum est etiam (ut dicunt) ut sit locus corporum
 gloriosorum. Decet enim corpora gloriosa esse in aliqua parte
 uniuersi (et maxime in suprema) quam dicimus celum empyreum. Et
 eadem ratione | factum est propter angelos quibus congruit esse in *π132rb*
 45 aliqua parte uniuersi cum sint et ipsi partes uniuersi.

[5] Istud autem non uidetur sufficienter dictum, ordo enim in quo
 inferiora attingunt superiora debet attendi secundum ea que sunt rei
 intrinseca et essentialia, esse autem immobile non est intrinsecum
 nec essenziale celo empyreo, imo non est immobile, licet sit
 50 immotum. Posset enim moueri et alii orbes quiescere non mutata
 huius uel eorum natura, ideo et cetera. Quod etiam subditur quod
 factum est tam propter homines quam propter angelos, non uideo
 quoad angelos, quia ut aliqui probabiliter dicunt angelis non
 conuenit esse in loco nisi per operationem quam habent circa locum,
 55 et adhuc secundum illam dicuntur ibi esse metaphorice, nec angeli
 sunt partes uniuersi corporei ut propter hoc oporteat eis aptare locum
 corporeum.

34 inferiora ... 39 empyreum] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 12 (212,11-15)

35 ut ... Dionysivs] cf. ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 7 (407c-d)

42 Decet ... 43 uniuersi] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 10 (210,13-14)

51 Quod ... 52 angelos] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 10 (210,4-11)

53 aliqui] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 37, 3, 1, sol. (871)

[6] Propter quod uidetur esse melius dicendum quod propter hoc quod celum empyreum tenet gradum in corporibus qui forte non est supremus cum non sit corpus uiuens, neque attenditur secundum 60 suam immobilitatem, sed secundum sua essentialia, nihilominus factum est propter corpora Sanctorum ut sit eis locus congruitatis non necessitatis. Ex qua congruitate redditur causa tertii propositi (scilicet quale debeat esse). Conditiones enim rei ordinate in finem debent congruere fini. Celum autem illud ordinatur ad futurum 65 statum beatorum. Et quia illi sunt in plena fruitione totaliter quietante appetitum humanum, ideo debet esse non motum uel quietum, quia uero sunt in participatione eternitatis, debet locus ille esse incorruptibilis, quia etiam sunt continua uisione lucis eterne, debuit esse eternum lucidum, unde *empyreum dicitur* (id est igneum) 70 *non a calore sed a splendore*, lucidum autem dicitur non quia sit radiosum, quia claritas eius nequaquam latet nos, cum sphere intermedie sint transparentes. Sed pro tanto dicitur lucidum, quia in compositione sua lucem habet, sed non ex tanta densitate partium ut terminet uisum sicut faciunt corpora solis et lune et astrorum. 75

[7] Ad argumentum in oppositum dicendum quod ibi est locus uere contemplationis non propter angelos, sed propter homines, nec propter spiritum contemplantem nisi quatenus est actus corporis cui congruit talis locus pro statu sue glorificationis, et propter adaptationem iam dictam ut corporalia spiritualibus respondeant. 80

62 ut ... 63 necessitatis] cf. Thom., *S.th.*, I, 66, 3, ad 3; cf. etiam *Super Sent.*, II, 2, 2, 1, ad 2 (72)

64 Conditiones ... 70 lucidum] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 2, 2, 2, sol. (73); cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 3 (45,46-49)

70 empyreum ... 71 splendore] Lomb., *Sent.*, II, 2, 4 (339,19-20); cf. etiam Walafr. Strabo, *Glossa ord.*, *Liber Genesis*, I (68C)

73 lucidum ... 75 astrorum] cf. Thom., *S.th.*, I, 66, 3, ad 4

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM CELVM EMPYREVM HABEAT ALIQVAM INFLVENTIAM AD
INFERIORA>

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod celum
5 empyreum non habeat aliquam influentiam in hec inferiora, quia
celum agit per motum et lumen, ut dicitur II C e l i e t m u n d i ,
sed illud celum non agit per motum cum non moueatur, nec per
lumen cum non sit radiosum (ut statim fuit dictum in precedente
questione) quare et cetera.

10 [2] In contrarium arguitur, quia locus est conseruatiuus locati, sed
celum empyreum est locus inferiorum corporum, ergo est
conseruatiuus eorum, sed non conseruat nisi per aliquam actionem,
ergo et cetera.

[3] Responso. Hic est duplex modus dicendi non solum
15 diuersorum doctorum, sed unius et eiusdem in diuersis locis (nec
mirum) quia cum nihil sciamus de illo celo an sit, nisi per
auctoritatem, ut dictum fuit in precedente questione, parum
possumus scire si agat uel non agat cum nullus effectus eius nobis
appareat, nec auctoritates alique de hoc expresse loquantur. Est ergo
20 unus modus dicendi quod illud celum nihil agat propter duo.
Primum est, quia illud *celum ordinatur ad statum glorie*. Sed ille *status*
non erit *status generationis et corruptionis* propter quas sunt omnes

6 celum ... mundi] cf. Arist., *De caelo*, II, 7, 289a19-26

celum ... 9 cetera] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 2, 3, 3 (25b)

8 ut ... 9 questione] cf. supra, II, 2, 3, A6-B6 (93,74-75)

10 locus ... locati] cf. *Auct. Ar.*, 2, 125 (150,9); cf. etiam Alb., *Summa de creat.*, III, II, 1,
arg. 2 (420b)

21 celum ... 22 corruptionis] Thom., *Super Sent.*, II, 2, 2, 3, sed contra (76); cf. etiam
S.th., I, 66, 3, ad 2

actiones et passiones, ergo illud celum nihil agit. Secundo, quia nullum *corpus* uidetur *habere influentiam super aliud nisi motum*, sed celum empyreum non mouetur, ergo non influit in alia corpora. 25

[4] Alius modus dicendi est quod celum empyreum influit in alia corpora. Quod potest sic persuaderi, inconueniens est ponere aliquam substantiam ociosam seu destitutam omni operatione, sed ^{π132va} celum empyreum est substantia quedam na- | -turalis, et inter corporeas est nobilissima, oportet ergo quod secundum suam 30 naturam habeat aliquam operationem, hec autem non potest esse manens in operante, quia huiusmodi operationes sunt rerum uiuentium solum. Requiritur ergo quod operatio eius transeat in materiam exteriorem, hoc autem non esset, nisi aliquid influeret in alia corpora, ergo celum empyreum aliquid influit in alia. Quid 35 autem sit illud. Potest dici quod lumen cum sit lucidum, et si non adeo ut corpora astrorum, tamen potest in corpus sibi propinquum aliquod lumen influere, et mediante lumine aliquam uirtutem quam ignoramus, sicut ignoramus multa alia que sunt nobis uiciniora, ut cum Magnes attrahit ferrum, ignoramus quid influat. 40

[5] Ad rationes in oppositum dicendum quod illud celum agit per lumen modo quo dictum est. Rationes etiam alterius opinionis non cogunt quod nullus debeat negare quod celum empyreum (quanuis sit ordinatum ad statum glorie) non habeat talem influentiam in alia corpora qualem habebunt post resurrectionem cetera corpora 45 inuicem, quia omnia corpora pertinebunt tunc ad eundem statum,

24 corpus... motum] Thom., *Super Sent.*, II, 2, 2, 3, sol. (76); cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 4 (46,2-3)

26 Alius... dicendi] cf. e.g. Thom., *S.th.*, I, 66, 3, ad 2; *Quodl.*, VI, II, resp. (314,32-33); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 2, 2, 4, resp. (154bB-C)

27 inconueniens... 28 operatione] cf. Ioh. Dam., *De fide orth.*, II, 23 (142,9-10)

sed tunc corpora celestia influent lumen inuicem, sol enim illuminabit lunam et corpora astrorum et partes diaphanas superiorum, ergo celum empyreum potest nunc corpus propinquum
50 sibi illuminare, nec tales actiones inducent generationem aut corruptionem substantiarum, quia sic influunt quod nihil auferunt.

[6] Quod autem secundo dicitur quod nullum corpus agit nisi motum, falsum est, et hoc nunc supponitur, quia inferius probabitur.

[7] Argumentum pro alia parte concedatur propter conclusionem,
55 tamen in hoc deficit quod dicit omnem locum esse conseruatiuum locati, nihil enim conseruatur ab alio per se, nisi sit eius causa per se, sicut sol conseruat lumen in aere. Per accidens autem non conseruatur, nisi quod est corporale, quia talis conseruatio sit impediendo actionem corrumpentis, propter quod cum celum non
60 sit causa aliorum orbium, nec alii sint corruptibiles, non habet rationem conseruantis, sed solum continentis.

<QVESTIO TERTIA
VTRVM IN EVO SIT SVCCESIO>

[1] Circa eum queruntur tria. Primum est, utrum in euo sit successio. Secundum est, utrum nunc eui sit idem quod eum.
5 Tertium est, utrum sit aliquod unum eum quod sit mensura omnium euiternorum. Ad primum sic proceditur. Et arguitur quod in euo sit successio sic, *illud quod potest deficere ab esse non habet*

53 inferius] cf. infra, II, 15, 3, 11 (158va)

6 arguitur ... 12 cetera] Aeg. Rom., *Report.*, II, 18 (222,2-4)

simul suum totum esse (quod enim ab esse deficit non habet totum esse quod habere potuit) quia potuit plus esse, *sed angelus* cuius mensura est euum, *potest deficere ab esse* per subtractionem influentie 10 diuine, ergo non habet simul suum totum esse, *sed euum est mensura esse angeli*, ergo et cetera.

[2] Item si in euo non est successio idem est angelo fore et fuisse, sed Deus non potest facere Angelum non fuisse, ergo non posset ipsum facere non fore, hoc autem est falsum, ergo et cetera. 15

[3] Item in eodem instanti non possunt contradictoria uerificari de eodem, sed si totum esse angeli esset simul mensuraretur uno instanti, ergo de angelo non possent contradictoria uerificari, hoc autem falsum est, ergo et cetera.

[4] In contrarium est, quia simplicius est esse euiternorum quam 20 rerum generabilium (puta hominis uel equi) sed esse talium non est successium, ergo nec esse euiternorum, et per consequens nec euum quod est eius mensura. Assumptum probatur, quia omnis successio est essentialiter aliquid fieri uel secundum formam, uel secundum locum, si igitur esse rerum generabilium consisteret in successione 25 consisteret et in fieri, et sic quicquid esset etiam causa in fieri esset causa conseruatiua in esse, quod falsum est, ergo et cetera.

[5] Responsio. Videnda sunt duo. Primo quid importetur nomine eui. Secundo quid sit de ueritate questionis.

13 Item ... 15 cetera] Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 5 (48,8-11); Aeg. Rom., *Report.*, II, 18 (222,5-8); cf. etiam Rich. de Mediau., *Quaest. disp.*, 22 (V69ra); *Super Sent.*, II, 2, 3, 1 (38b); Thom., *S.th.*, I, 10, 5, arg. 3; *Super Sent.*, II, 2, 1, 1, sed contra 4 (62); Duns Scot., *Ord.*, II, 2, 1, 1 (166,14-15); Petr. de T arant., *Super Sent.*, II, 2, 2, 1 (20b)
16 Item ... 19 est] cf. Ioh. Petr. Oliu., *Super Sent.*, II, 9 (171); cf. etiam Rich. de Mediau., *Quaest. disp.*, 22 (V69ra)

30 [6] Quantum ad primum sciendum quod eum est *mensura* uel duratio *esse creati uniformiter* et stabiliter *se habentis*. Eum dicitur *mensura* uel duratio. Ad hoc enim significandum imponitur sicut tempus et eternitas, sed *dici-* | *-tur mensura* esse et non essentie, quia ^{*π132vb*} duratio attenditur secundum actualem existentiam et non secundum
 35 essentiam absolute, propter quod omnis mensura ad durationem pertinens (qualis est eum tempus et eternitas) magis respicit esse rei quam essentiam. *Creati* dicitur ad differentiam eternitatis que mensurat esse diuinum increatum, uel est eius duratio ex quo habet quod nullo modo possit deficere. *Vniformiter se habentis* dicitur ad
 40 differentiam temporis, quod est *mensura motus* per quam res semper se habent aliter et aliter, et nunquam uniformiter. *Stabiliter* dicitur, quia esse rei generabilis quanquam in se uniformiter se habeat, quandiu res est, tamen per adiunctas transmutationes in accidentalibus continue tendit ad non esse et ideo tale esse, non est
 45 stabile sicut est euiternorum esse quod non tendit ad non esse per aliquid sibi adiunctum, uel sibi intrinsecum quanquam possit deficere per subtractionem diuine influentie. Ex his apparet differentia inter eternitatem, tempus et eum secundum differentiam mensurabilium uel durationis eorum quibus competunt.

50 [7] Quantum ad secundum dicenda sunt duo. Primum est quod in euo non est successio. Secundum est quod esse unius euiterni potest alii succedere. Primum patet dupliciter. Primo ex incorruptibilitate euiterni, cuius esse proportionatur euo, quia in omni successione aliquid amittitur et aliquid uere acquiritur, quia cum prius et

30 mensura ... 31 habentis] Rich. de Mediau., *Quaest. disp.*, 20 (V54vb); *Super Sent.*, II, 2, 1, 1 (31b); II, 2, 3, 1 (39a); cf. P. Porro, *Forme e modelli di durata* (119-120)

31 Eum ... 47 influentie] Rich. de Mediau., *Quaest. disp.*, 20 (V54vb-55ra)

40 temporis ... motus] Arist., *Phys.*, IV, 12, 220b32-221a1

posterior sine quibus non est successio non sint, nec esse possint 55
 simul (propter manifestam contradictionem que in ipsis terminis
 implicatur) acquisitio posterioris est amissio prioris, et hoc est uerum
 in omni successione siue secundum locum in qua locus unus
 acuiritur alio amisso, siue secundum formam in qua una acquisita
 alia amittitur. Sed in esse angeli et cuiuscunque euiterni (quandiu est) 60
 nulla est noua acquisitio uel amissio cum ponatur simpliciter
 incorruptibile (dicente AVGVSTINO De ciuitate Dei) quod
*immortalitas angelorum non transit in tempore, nec est preterita, quasi
 iam non sit, nec futura, quasi nondum sit*, ergo in esse angeli nulla
 potest esse successio. 65

[8] Item arguitur secundo sic, esse angeli uel est idem quod
 essentia, uel proportionatur essentie, sed in essentia angeli nulla est
 successio, sed est tota simul in indiuisibili consistens, ergo et esse.
 Probatur minor, si enim ratio specierum substantie consistit in
 indiuisibili sicut species numerorum maxime oportet hoc uerificari in 70
 separatis a materia ut innuit PHILOSOPHVS VIII *Metaphysice*
 quare et cetera.

[9] Secundum patet sic, Sicut permanentibus opponitur successio,
 sic successiuus similtas, sed duo motus quorum quilibet est
 successiuus secundum se non obstante successione cuiuslibet eorum 75
 secundum se possunt simul esse unus cum alio sicut idem homo
 simul currit et febricitat, ergo duo euiterna quorum quodlibet est
 secundum se manens (non obstante manentia et similtate quam
 habet unumquodque eorum secundum se) possunt sibi succedere,

62 Avgvstino ... 64 sit²] Aug., *De ciu. Dei*, XII, 15 (373,85-87); ap. Bonau., *Super Sent.*, II, 2, 1, 1, 3, arg. 1 (61a)

69 si ... 71 *Metaphysice*] cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 3, 1043b32-1044a11

80 quamadmodum unus angelus potest creari alio non creato, et hoc
 adnihilato alius creari, sed hec successio non est per se, sed per
 accidens solum, que enim per se sibi inuicem succedunt eorum
 nature sunt tales quod uni repugnat simul esse cum alio, ut patet in
 partibus motus et temporis. Euiternis autem non repugnat esse simul,
 85 ideo inter ea non est successio per se, sed per accidens solum, ex bene
 placito producentis. Patet igitur quod in euo no est successio, cum sit
 idem iudicium de euo et de esse euiterni. Et quanuis in euo
 secundum se non sit successio, potest toti tamen successioni temporis
 coexistere, nec enim est euum, sicut nunc temporis quod non potest
 90 bis sumi eo quod fluens est, sed quasi nunc stans quod multotiens
 potest significari. Et ob hoc pluribus coexistere, quemadmodum si
 quis figat palum in fluuio, durat palus et fluuius, sed in duratione
 fluuii est successio aque, postquam in duratione uero pali, non sic
 durat angelus, durat motus, durat euum, durat tempus: sed in
 95 duratione motus et temporis est successio, non sic in duratione angeli
 et eui, et tamen sibi inuicem coexistunt ratione cuius coexistentie
 dicitur angelus fuisse, quia coexistit preterito et fore, quia coexistet
 futuro, quanuis de esse angeli nihil amittatur in preterito, non
 acquiratur in futuro.

100 [10] Ad primum argumentum cum dicitur illud quod potest
 deficere ab esse non habet simul suum totum esse. Dicendum quod
 falsum est. Ex hoc enim potest aliquid | deficere ab esse, quia non *π133ra*
 habet esse ex se sed ab alio, cuius influenza subtracta desineret esse.
 Et cum probatur, quia quod desinit esse non habet totum esse quod
 105 habere potuit. Potuit enim plus esse, dicendum quod et si potuit plus
 esse duratione tamen plus essendo non habuisset aliud esse, nec in
 parte nec in toto, sed illud idem quod prius, unde in argumento

uidetur esse figura dictionis ex mutatione predicamentorum, scilicet quod in plus.

[11] Ad secundum dicendum quod in angelo secundum se non est 110
fuisse et fore, sed solum secundum coexistentiam ad tempus. Et quia
non potest fieri quin angelus coexistit tempori preterito, potest tamen
Deus facere quod non coexistet alicui futuro uel adnihilando
angelum, uel faciendo quod nihil erit futurum, ideo Deus potest
facere angelum non fore, licet non possit facere quod non fuerit, non 115
propter successionem quam habeat in esse, sed propter coexistentiam
eius ad successionem temporis.

[12] Ad tertium dicendum quod in eodem instanti fluenti non
possunt contradictoria uerificari de eodem, nec eidem contradictoria
coexistere, quia non contingit ipsum bis sumere, sed eidem nunc 120
stanti et permanenti possunt contradictoria coexistere, quia contingit
ipsum plures sumere, tale enim est euum, et nunc euiternitas, et
nunc euiternitatis. Et ideo de Deo uerificamus contradictoria sicut
quod creat, et quod non creat. Et utrique coexistit nunc eternitatis,
neutrum tamen per se mensuratur eternitate. Similiter de angelo 125
uerificatur esse beatum et non esse beatum. Et utrunque coexistit
eidem nunc eui quod mensurat esse angeli. Neutrum tamen istorum
uel ad minus alterum eorum (scilicet non esse beatum) non
mensuratur euo. Est enim pura negatio cui proprie nulla mensura
respondet. 130

110 in ... 117 temporis] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 2, 3 (208aA); Duns Scot., *Lect.*, II, 2, 1, 1 (120,13-20); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 5 (51,113-52,118); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 2, 2, 1 (21b)

<QVESTIO QVARTA

VTRVM NVNC EVI SIT IDEM QVOD EVVM>

[1] Deinde queritur utrum nunc eui sit idem quod euum. Et uidetur quod non, quia nunc temporis non est idem quod tempus, 5 ergo nunc eui non est idem quod euum, consequentia patet per simile. Antecedens probatur quia nunc est indiuisibile, tempus autem diuisibile, ergo non sunt idem nunc temporis et tempus.

[2] Contra. Nunc eternitatis et eternitas sunt idem, ergo nunc eui, et euum. Consequentia patet per simile ut prius. Antecedens 10 probatur, quia absoluta in Deo non differunt realiter, sed eternitas et nunc eternitatis sunt absoluta, et conueniunt Deo soli, ergo non differunt realiter.

[3] Responso. Circa questionem istam aliquid est clarum, et aliquid est dubium. Clarum est quod principaliter queritur. Dubium 15 est quod implicatur. Primum patet sic, quod nunc eui et euum sunt idem realiter, quod est principaliter quesitum, quia in duratione indiuisibili in se, neque habente aliquam extensionem non possunt differre realiter duratio et tunc illius durationis, quia duratio et nunc durationis non possunt differre realiter nisi sicut indiuisibile et 20 extensum, sed euum est duratio indiuisibilis secundum se, nec habet successionem, nec quancunque extensionem (licet habeat permanentiam) ergo et cetera. Secundo quia mesure et durationes differentes realiter sunt durationes uel mesure rerum differentium realiter, sed in euiternis non sunt aliqua differentia realiter quibus 25 correspondeant euum et tunc eui, imo unum et idem esse angeli est quod correspondet utrique, ergo euum et nunc eui non differunt

4 nunc ... 5 euum] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 5 (50,67-69)

realiter. Et idem est intelligendum de eternitate et tunc eternitatis propter easdem rationes.

[4] Quod autem implicatur in argumentis magis dubium, scilicet utrum nunc temporis differat realiter a tempore. Circa quod 30 sciendum est quod duplex tempus ponitur a doctoribus scilicet continuum et discretum, et hoc tali ratione, tempus nominat mensuram successionis, nunc est ita quod duplex est successio. Vna continua secundum partes eiusdem actus continui ut in motu. Alia discreta secundum diuersos actus simul sibi impossibiles ut a 35 quibusdam ponitur de operationibus angelorum quarum quelibet secundum se est indiuisibilis et alteri impossibilis, ergo duplex est tempus: unum quod est mensura successionis continue secundum partes eiusdem actus, de quo determinat ARISTOTELES IV P h y s i c o r u m . Aliud est quod est mensura successionis discrete et 40
 π133r^b uoca- | -tur tempus discretum, de quo primo uidebitur qualiter se habeat ad ipsum nunc talis temporis, et postea inquiretur idem de nunc temporis continui.

[5] Quantum ad primum dicendum quod nunc temporis discreti differt realiter a tempore discreto sicut pars a toto. Quod patet sic, 45 sicut propria mensurata differunt, sic et proprie mensure, sed proprium mensuratum tempore discreto est existentia successiua actuum sibi inuicem impossibilium, proprium autem mensuratum a nunc talis temporis est existentia unius talis actus qui se habet ad totam existentiam talium actuum sicut pars ad totum, 50 ergo nunc temporis discreti se habet ad tempus discretum sicut pars ad totum.

[6] De tempore autem continuo et eius nunc, est maior dubitatio. Dicunt enim quidam quod nunc temporis continui et tempus
 55 differunt realiter, quod probant sic, sicut differunt propria mensurata
 sic et measure, sed tempus continuum est mensura motus, nunc uero
 talis temporis est mensura mobilis (dicente PHILOSOPHO IV
 P h y s i c o r u m quod sicut se habet tempus ad motum sic nunc ad
 id quod fertur). Cum igitur motus et mobiliter differant realiter,
 60 uidetur quod tempus et tunc temporis similiter realiter differant, ex
 quo concludunt quod sicut in toto motu mobile est unum et idem
 secundum rem differens solum secundum rationem prout est in alia
 et alia habitudine ad terminum, sic nunc temporis est unum et idem
 secundum rem in toto tempore et differens solum secundum
 65 rationem prout habet esse in alia et alia parte temporis.

[7] Quicquid sit de conclusione, ratio tamen que adducitur non
 ualet, assumit enim unum falsum, et aliud concludit. Falsum quod
 assumit est quod nunc temporis continui mensurat substantiam
 mobilis, hoc autem non potest stare primo, quia mensura durationis
 70 nunquam mensurat nisi illud secundum quod attenditur duratio, sed
 solum secundum substantiam non attenditur aliqua duratio, sed
 solum secundum esse substantie, siue sit idem cum substantia siue
 non, ergo nunc temporis quod est mensura pertinens ad durationem
 (si quod sit) non mensurat substantiam mobilis ut substantia est.

75 [8] Item nec mensurat esse existentie mobilis, quia measure
 fluentis non debet esse nunc stans, sed tempus continuum est

54 quidam] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 19, 2, 2, arg. 4 (470)

56 tempus ... 57 mobilis] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 5 (50,67-69); cf. etiam Aeg.
 Rom., *De mens. angel.*, 9 (67va)

57 dicente ... 59 fertur] Arist., *Phys.*, IV, II, 219b23-24

61 sicut ... 65 temporis] Thom., *Super Sent.*, I, 19, 2, 2, sol. (470)

mensura fluens, ergo nunc eius (si quod est) non est stans sed fluens, illud autem nunc quod mensurat esse substantie mobilis oportet sit stans sicut et esse mensuratum, ergo nunc temporis continui non est mensura esse rei mobilis, et multo minus substantie. 80

[9] Item sicut se habet motus ad mutatum esse sic tempus ad nunc, ergo permutata proportione sicut se habet motus ad tempus, sic mutatum esse ad nunc, sed motus est proprium mensuratum temporis, ergo mutatum esse (si quod sit in motu) est proprium mensuratum ipsius nunc. Sed constat quod alterius rationis sunt 85 quoad esse, et rationem mensurati substantia mobilis et esse eius que sunt permanentia, et possunt pluries sumi, quam mutatum esse, quod non potest pluries sumi, ergo et eorum mensura, cum igitur nunc temporis continui mensuret mutatum esse, patet quod non mensuret substantiam mobilis, nec esse eius, sed mensuratur esse 90 substantie mobilis nunc temporis discreti quod est stans, et potest pluries sumi.

[10] Quod autem dicit ARISTOTELES IV P h y s i c o r u m quod sicut se habet tempus ad motum, sic nunc ad id quod fertur, non est intelligendum quoad mensuram substantie mobilis uel sui esse, sed 95 secundum quod mutatum est in aliqua una dispositione. Mutatum enim esse ipsius mobilis secundum quamcunque unam dispositionem mensuratur solum ipso nunc temporis. Et utrumque istorum est solum secundum imaginationem et non secundum rem. nunquam enim durante motu mobile est in aliqua una dispositione, quia 100 durante motu mobile semper mouetur, sed non mouetur existendo in

81 Item ... 85 nunc] cf. Aeg. Rom., *De mens. angel.*, 9 (67rb)

93 Quod ... 94 fertur] cf. supra, II, 2, 5, B4 (98,39-40)

Aristoteles ... 94 fertur] Arist., *Phys.*, IV, 11, 219b23-24

una dispositione, quia continue est in alia et alia dispositione, sicut continue mouetur, nec est dare unam dispositionem unitate indiuisibilitatis, sed continuitatis que habet partes, et mensuratur
 105 aliqua parte temporis et non nunc indiuisibili secundum rem, sed solum secundum actionem imaginationis.

[II] Falsum autem quod concludit predicta opinio est quod in toto tempore sit tantum unum nunc secundum rem, differens solum secundum rationem: quod patet acciepiendo dictum continue,
 110 scilicet quod sicut se habet linea ad punctum sic se habet nunc ad tempus, et quia linea cum sit permanens est nobis notior quam sit ipsum tempus, ideo inquiratur quomodo se habet punctus ad lineam secundum identitatem | et diuersitatem ut simile concludatur de *π133va*
 tempore et nunc temporis. Videtur autem prima facie quod punctus
 115 et linea non sunt idem precise. Nullus enim dicit hanc ueram esse, punctus est linea, uel linea est punctus. Nec potest dici quod punctus sit aliquid pertinens intrinsece ad essentiam linee, quia illud quod non est linea tota, sed aliquid eius oportet quod sit pars, et cum non sit nisi duplex pars pertinens ad essentiam rei scilicet quantitativa et
 120 essentialis: si punctus sit pars linee, aut erit pars quantitativa, et sic ex punctis componetur linea, quod negat PHILOSOPHUS VI
 P h y s i c o r u m . Et iterum punctus non erit quid indiuisibile, sed potius quantum, quia quantum non componitur nisi ex quantis. Nec potest dici quod sit pars essentialis, quia tales partes solum sicut
 125 materia et forma, linea autem non est ex talibus composita cum sit accidens et forma simplex, quare et cetera. Et iterum si esset pars essentialis esset forma linee cum dicatur terminare et finire lineam,

hoc autem esse non potest, quia unius rei una est forma, unius autem lineae dicuntur esse duo puncta, quare et cetera.

[12] Ob hoc quidam putant punctum esse quid positium et 130
 indiuisibile realiter terminans lineam quanuis non sit de essentia
 lineae. Istud autem non potest esse uerum, quia preter terminum
 extrinsecum oportet lineam ponere esse finitam, quia linea que de se
 esset infinita terminus extrinsecus non poneret finitatem. Item
 excluso puncto si sit terminus extrinsecus adhuc linea remaneret in se 135
 tanta quanta prius erat et non maior, nec minor. Quid igitur facit ad
 finitatem lineae punctus si sit terminus extrinsecus? non apparet, imo
 omnino latet, quod oporteat ponere propter finitatem lineae talem
 terminum, fatuum enim esset imaginari quod nisi essent puncta
 terminantia lineam, linea ex utraque parte flueret in infinitum. 140
 Omne enim quod finitur, finitur se ipso uel alio sibi intrinseco, unde
 ARISTOTELES III P H Y S I C O R U M contra illos qui probabant
 infinitum esse in entibus pro eo quod esse finitum (ut dicebant)
 finitur ad aliud et illud ad aliud, et sic semper: dicit quod aliud est
 finiri et aliud tangi, quod enim tangitur ab alio tangitur, quod uero 145
 finitur non finitur ab alio sed se ipso, nullo ergo modo credendum est
 quod punctus sit aliqua natura positua indiuisibilis terminans
 lineam, sed terminatur linea se ipsa in quantum tantum extenditur et
 non plus, ita quod terminatio lineae includit priuationem ulterioris
 continuationis. Et quia priuatio continui et diuisibilis uidetur habere 150
 rationem indiuisibilis, imo ideo imaginamur punctum esse quid
 indiuisibile, cum tamen nihil indiuisibile positium sit intrinsecum
 lineae, nec ei adiunctum.

[13] Item sicut punctus dicitur terminus linee, ita linea dicitur
 155 terminus superficiei, et superficies terminus corporis, et tunc ei
 corpore rotundo esset imaginanda superficies indiuisibilis quoad
 profunditatem differens realiter a corpore et inuoluens ipsum
 tanquam terminus extrinsecus, quod est absurdum.

[14] Tenendum est ergo quod linea non se habet ad punctum sicut
 160 diuisibile ad indiuisibile positium, sed sicut ad priuationem alterius
 continuationis, et sic dicitur actu terminari per puncta in quantum
 priuatur ulteriori extensione. Quod autem dictum est de linea et
 puncto intelligendum est de motu et mutato esse, quia mutatum esse
 non est indiuisibile intrinsecum motui uel ei adiunctum, sed est
 165 priuatio ulterioris continuationis in motu, et tunc dicimus in motu
 mutatum esse in actu quando terminatus est, nec ulterius proceditur.
 Et quia in tempore (quod est idem realiter cum primo motu) non est
 dare talem terminationem que sit priuatio ulterioris continuationis,
 ideo non est ibi dare nunc in actu, sed solum in potentia, nisi
 170 contingeret tempus finiri, et tunc illud non esset quid indiuisibile
 positum, sed priuatio ulterioris continuationis, ut de aliis dictum est.
 Et si opponatur quod tempus non habet esse nisi per nunc, quare ut
 uidetur apparet nunc actu esse et esse quid positium, quia tempus
 est aliquid positium, et positium non habet esse priuatiuum.
 175 Dicendum quod tempus non habet esse per nunc, sed per
 existentiam suarum partium que uere et realiter habent esse quanuis
 non simul, nec istud esse requiritur ad esse reale, sed solum ad esse
 permanentium quorum conditio est simultas, non autem requiritur
 ad esse successiuorum.

180 [15] Ad argumentum in oppositum dicendum quod aliter se habet
 nunc eui ad euum quam nunc temporis ad tempus, quia nunc eui

π133vb non potest differre ab euo, nisi secundum ratio- | -nem, quia in esse
 euiterni non est realis diuersitas, nec nunc eui dicit priuationem
 ulterioris durationis, sicut dicit nunc temporis, propter quod differt
 realiter a tempore non sicut indiuisibile positium a continuo, sed 185
 sicut priuatio ulterioris continuationis.

<QVESTIO QVINTA

VTRVM VNVM SIT EVVM QVOD SIT MENSURA OMNIVM EVITERNORVM>

[1] Ad tertium sic proceditur. Et arguitur quod non sit euum unum
 quod sit mensura omnium euiternorum, quia mensurabile respondet
 a mensura (ut habetur *V M e t a p h y s i c e*) sed unus angelus non 5
 dependet ab alio quantum ad suum esse, sed dependent omnes a Deo
 immediate, ergo esse unius non mensuratur per aliquid quod sit in
 alio, hoc tamen esset si daretur quod unum euum esset mensura
 omnium euiternorum, quia euum unius angeli mensuraret esse
 omnium aliorum, quare et cetera. 10

[2] Item sicut se habet tempus ad temporalia, sic euum ad euiterna,
 sed tempus quod est mensura omnium temporalium non est in
 aliquo temporalis sicut in subiecto, sed in celo quod est euiternum et
 super omne tempus, ergo illud quod est mensura omnium
 euiternorum non est subiectiue in aliquo euiterno sed in aliquo quod 15
 est supra omne euiternum, et hoc est Deus.

4 mensurabile ... 5 *Metaphysice*] cf. Arist., *Metaph.*, V, 15, 1020b30-32

11 Item ... 16 Deus] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 2, 2 (204bD); cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 6 (56,126-132)

[3] Item si esset unum euum mensura omnium euiternorum illud
 esset euum supremi euiterni, quia primum est mensura omnium
 aliorum, quemadmodum *primus motus est mensura omnium motuum*,
 20 illud ergo aut erit in primo secundum esse nature. Et tunc cum
 Lucifer fuerit primus et summus secundum opinionem GREGORII per
 ipsum mesurantur alii, quod uidetur aliquibus inconueniens, aut
 esset in supremo euiterno quantum ad esse gratie et glorie. Et tunc
 per animam Christi que est suprema secundum esse glorie, alia
 25 mesurarentur quod non uidetur uerum, quia antequam anima
 Christi esset euiterna habebant suam mensuram que non est mutata,
 ergo nullum euiternorum est mensura omnium aliorum.

[4] In contrarium est, quia sicut unum tempus est mensura
 omnium temporalium, ita unum euum debet esse (ut uidetur)
 30 mensura omnium euiternorum.

[5] Responso. Videndum est primo quid sit de ratione mesure, ac
 deinde uidebitur quid sit de ueritate questionis. Circa primum
 sciendum quod ratione mesure est quod per eam habeatur certitudo
 de re mesurata quantum ad quantitatem molis uel perfectionis, uel
 35 quantum ad permanentiam sui esse si sit mensura durationis,

18 primum ... 19 aliorum] *Auct. Ar.*, I, 239 (135,21-22)

19 primus ... motuum] *Auct. Ar.*, 2, 224 (158,63-64); cf. etiam Arist., *Phys.*, VIII, 9, 265b8-12

20 illud ... 23 glorie] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 17 (218,53-57); cf. etiam *Ord.*, II, 2, 2, 1, 2, resp. (110bB-C)

Et ... 22 inconueniens] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 2, 1 (T71vb; Vb43rb); cf. etiam Thom., *Super Sent.*, II, 2, 1, 2, arg. 5 (66); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 6 (57,133-139)

21 Lucifer ... Gregorii] cf. Greg., *Moralia*, XXXII, 23, 48 (666,44-47); cf. etiam Lomb., *Sent.*, II, 6, 1 (354,24-355,6)

28 In ... 30 euiternorum] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 2, 1 (T71vb; Vb41rb); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 2, 2 (205aD); Duns Scot., *Lect.*, II, 2, 1, 3 (131,13-14); *Ord.*, II, 2, 1, 3 (212,4-5); Rich. de Mediau., *Quaest. disp.*, 21 (V55vb); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 2, 6 (52,2-4)

unum ... 29 temporalium] cf. Arist., *Phys.*, IV, 10, 218b4-5

utrumque autem istorum contingit dupliciter, quia certificari
 possumus de re aliqua quantum ad id quod est, uel quantum ad
 durationem sui esse, uno modo per se, et directe, et sic solum
 certificamur de re per causam eius sicut de eclypsi lune quod sit et
 40 quandiu sit, certificamur per interpositionem terre inter solem et
 lunam, et quantitatem interpositionis. Et ratio huius est, quia per
 illud per se et simpliciter et directe certificamur de re quod per rem
 cognoscimus simpliciter et directe et per se, sed illud est tantummodo
 causa rei, quia ipsa sola est per se et simpliciter principium
 cognoscendi sicut et essendi. Alio modo certificamur de aliqua re 45
 indirecte et comparatiue, et sic certificamur de omnibus que sunt in
 aliquo genere per illud quod est in genere illo perfectius, quasi habens
 in se omnem illius generis actualitatem, ut albedo in genere coloris.
 Nam per albedinem mensurantur colores indirecte et comparatiue,
 quanto enim perfectius participant naturam coloris, tanto 50
 propinquius accedunt ad naturam albedinis.

[6] Et ratio huius mensurationis est duplex, quia per notius natum
 est certificari minus notum, quia magis et minus notum habent inter
 se habitudinem qualia sunt ea que sunt eiusdem generis. Sed quod est
 actu alius in aliquo genere illud de se est notius, ergo per illud quod 55
 actualius et perfectius in aliquo genere nata sunt mensurat omnia que
 sunt eiusdem generis, et hec mensura pro tanto dicitur indirecta et
 comparatiua respectu prime measure, quia non est adeo directa et per
 se habitudo quantum ad esse et cognitionem eorum que sunt in
 π134ra eodem genere ad inuicem, sicut est effectus ad suam causam. | Patet 60

46 et²... 51 albedinis] cf. Thom., *De uirt. card.*, q. unica, 3, resp. (822b); Arist., *Metaph.*, X, 1, 1052b18-19

igitur quid sit de ratione mesure quod fuit primum propositum. Ex quo patet quod non est de ratione mesure uniuersaliter quod sit causa mensurati, unde si prius motus non esset causa aliorum motuum, nihilominus esset mensura. Nam si lapis moueretur sursum
 65 ab angelo uere talis motus mensuraretur per motum primum, et tamen non causaretur ab ipso.

[7] Hoc supposito dicendum ad questionem, quia aut queritur mensura omnium euiternorum, que sit mensura quidditatis et perfectionis nature, aut que sit mensura durationis et permanentie. Si
 70 primo modo, sic dicendum quod preordinatio diuina et eius uoluntas est per se et directe mensura quidditatis et perfectionis nature euiternorum. Essentia autem supremi euiterni est mensura eorum indirecte et comparatiue. Quod patet faciliter ex precedentibus, quia sola causa habet rationem mesure per se simpliciter et directe.
 75 Primum autem in genere habet rationem mesure indirecte et comparatiue, sed preordinatio Dei et eius uoluntas habet rationem cause super euiterna. Est etiam dare inter ea supremum quod tamen non est eorum causa, ergo preordinatio diuina est simpliciter per se et directe mensura quidditatis et perfectionis euiternorum, itaque
 80 unumquodcunque tantum habet de ueritate et perfectione nature quantum preordinatum fuit ipsum imitari essentiam diuinam. Natura autem primi euiterni est eorum mensura et comparatiue. Dicimus enim quod unumquodcunque eorum tanto est perfectioris nature quanto magis accedit ad naturam primi euiterni. Et hec
 85 mensura solum est comparatiua, quia non propter hoc est aliquid perfectius, quia plus appropinquat perfectissimo in illo genere. Sed e

61 Ex ... 63 mensurati] cf. Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 2, 2 (205aD)

69 Si ... 82 comparatiue] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 2, 1 (T72rb; Vb43va-b)

conuerso: quia perfectius est propter hoc magis appropinquat. Ex hoc autem nondum habemus mensuram que est eum, quia eum nominat mensuram durationis et non perfectionis nature inquantum huiusmodi. 90

[8] Si autem queratur mensura durationis et permanentie eorum sic posset alicui uideri id quod prius, quia sicut se habet essentia ad essentiam, sic esse ad esse, et simultas esse ad simultatem esse, sed essentia primi angeli sicut perfectissima in illo genere est mensura essentiarum aliorum euiternorum (saltem comparatiue ut dictum est) 95 ergo et esse eius et simultas eius sunt mensura esse et simultatis aliorum, sed eum non est aliud quam simultas esse angeli, sicut tempus est prius et posterius in successione motus, ergo eum superioris angeli est mensura omnium euiternorum.

[9] Et iterum si sint plura eua, primum eum sicut perfectissimum 100 erit mensura omnium euorum inferiorum, sed quodlibet eum inferius est mensura esse proprii angeli, ergo a primo ad ultimum eum supremi angeli mensurat esse cuiuslibet inferioris.

[10] Quicquid sit de conclusione, rationes tamen iste non ualent. Quod enim primo dicitur quod sicut se habet essentia ad essentiam, 105 ita esse ad esse et simultas ad simultatem, uerum est quoad quantitatem perfectionis, sed non quoad quantitatem durationis, sicut patet in homine et elephante, excedit enim homo elephantem perfectione essentie et esse, sed non duratione, unde et per hominem habent mensurari omnes species animalis, sicut per albedinem omnes 110 species coloris quo ad quantitatem perfectionis naturalis, sed quo ad durationem non mensurantur species animalis per durationem

hominis, nec species coloris per durationem albedinis, et idem dicendum est de euiternis, nos autem querimus mensuram durationis
 115 quam importat euum, ideo non ualet.

[11] Ad secundum dicendum quod si euum nominat solum durationem euiterni, plura sunt eua, sicut plura euiterna, sed nullum habet rationem respectu durationis proprii euiterni cum sint unum et idem, propter quod secunda propositio assumit falsum cum dicit
 120 quod quodlibet euum est mensura esse uel durationis proprii euiterni, et prima propositio petit principium cum assumit quod supremum euum est mensura omnium euorum inferiorum, hoc enim principaliter queritur. Si uero dicatur quod euum nominat durationem euiterni que habet rationem measure, sic non sunt plura
 125 eua, imo nullum comparando durationem uniuscuiusque euiterni ad ipsum euiternum, propria enim duratio rei non mensurat ipsam rem, sed secundum eam res est mensurabilis per aliam, sicut propria quantitas panni non mensurat pannum, sed secundum eam pannus, est mensurabilis per quantitatem ulne. Si autem comparetur duratio
 130 unius euiterni - | - ni ad durationem alterius. sic queritur utrum aliqua *π134rb* earum habeat rationem measure respectu alterius, nec secunda ratio probat aliquid de hoc, nisi quia duratio primi euiterni est perfectior ceteris. Sed istud non ualet, quia plura requiruntur ad rationem measure quam esse perfectius, ut postea patebit et prius aliquo
 135 patuit.

[12] Supposito ergo quod preordinatio diuina et eius beneplacitum sit per se mensura durationis euiternorum tanquam per se causa, est ne duratio unius euiterni mensura durationis aliorum? Absque peiudicio potest dici rationabiliter quod non. Quod patet primo sic,
 140 illud cuius duratio et quantitas durationis est notior ex sua propria

ratione, quam sit ex comparatione ad alterum non mensuratur quo ad suam durationem per alterum, sed quodlibet euiternum est huiusmodi, ergo et cetera. Maior patet, quia per mensuram debemus certificari de quantitate mensurati, quod non habet locum quando quantitas mensurati ex natura proprii subiecti est notior quam possit 145 per alterum notificari. Minor probatur, quia ratio propria euiterni est non posse deficere secundum naturam. Ex hoc notum est quod duratio eius est perpetua, nec ex comparatione ad quodcunque aliud potest hoc esse eque certum, quare et cetera. Secundo, quia infinitum duratione non habet mensuram durationis, quia contra rationem 150 infiniti est esse mensuratum, sed duratione euiterni est infinita a parte post, eo quod non potest deficere, ergo non habet mensuram.

[13] Et si dicatur quod euiterna non sunt perpetue seu infinite durationis a parte ante, sed solum a parte post. Et ideo a parte ante possunt euiterna habere mensuram et unum esse mensura omnium 155 aliorum. Dicendum ad hoc quod si euiterna haberent aliquam mensuram per quam innotesceret quantitas durationis eorum ex nunc in ante, illa tamen mensura non posset esse aliquid ex euiternis, quia omnia euiterna simul ceperunt esse, et ex natura cuiuslibet eorum est nunquam posse desinere esse, propter quod ex natura 160 cuiuslibet eorum magis notum est quod durat quantum aliud quam sit notum per aliud, duravit enim et durabit Raphael quantum Gabriel, Michael uel Lucifer. Et ista quantitas durationis est notior ex natura proprii subiecti quam ex duratione alterius, et ideo duratio unius nullo modo est mensura durationis alterius. 165

[14] Per quid igitur mensurabitur quantitas durationis quam habuerunt euiterna ex quo creata sunt usque ad nunc? Dicendum quod per nullam mensuram unigenam, sed per heterogeneam,

uidelicet per tempus. Cuius ratio est, quia nihil habet rationem
 170 mensurabilis, nisi secundum quod induit rationem quanti, sed
 duratio euiterni secundum se non est quanta, cum non habeat
 partem et partem. Induit autem rationem quanti quatenus coexistit
 durationi quante puta motui, ergo secundum se non habet
 mensuram, sed secundum eius coexistentiam ad motum, et tunc
 175 habet eandem quam motus. Vnde dicimus quod quilibet angelus
 durabit quantum durauit mundus seu motus et tempus.

[15] Quod autem dictum est quod omnia euiterna ceperunt esse
 simul, uidetur obuiare ei quod dicitur quod anime rationales sunt
 euiterne, nec tamen inceperunt esse simul omnes inter se, nec cum
 180 angelis. Et dicendum ad hoc quod licet omnes anime intellectiue sint
 immortales, tamen naturalis existencia anime est non in seipsa, nec
 per seipsam, sed in corpore, cum sit pars essentialis totius compositi,
 duratio autem anime in corpore corruptibili, uel extra corpus non est
 euiterna, duratio autem eius in corpore post resurrectionem erit
 185 euiterna, de cuius durationis mensura in post essendo dicendum,
 sicut prius de aliis euiternis. De efficientia autem durationis eius et
 duratione aliorum euiternorum super durationem resurgentium,
 similiter dicendum est quod non habent mensuram unigenam, sed
 heterogeneam, propter eandem rationem que prius tacta fuit.

190 [16] Ad rationes utriusque partis respondendum est, quod licet
 aliquae earum sint ad ueram conclusionem, non tamen eam efficaciter
 probant. Prima enim ratio probat quod unum euiternum non sit
 mensura aliorum per se et directe sicut causa. Ad talem enim
 mensuram dependet mensurabile, sed non probat quin sit mensura
 195 indirecte et comparatiue sicut primum in aliquo genere, ut patet ex
 dictis in corpore solutionis.

[17] Ad secundum dicendum, quod accidit tempori ut est mensura
 π134va temporalium quod sit in aliquo euiterno. Si enim | celum esset
 corruptibile, et uniformiter moueretur ut modo, motus eius esset
 mensura aliorum motuum sicut nunc est: uerum est quod ad hoc ut 200
 talis motus duret et coexistat omnibus motibus mensurabilibus qui
 possunt sibi inuicem succedere in infinitum oportet subiectum eius
 non esse corruptibile, sed euiternum, primum potest omnibus
 euiternis coexistere, propter quod non oportet ex ista causa quod
 euum mensurans omnia euiterna, sit in aliquo subiecto transcendente 205
 genus euiternorum.

[18] Ad tertium dicendum, quod cum euum per se respiciat
 durationem esse naturalis, nihil prohibet malum angelum si sit
 supremus in gradu nature esse mensuram aliorum, nisi aliud
 obuiaret. 210

[19] Ad argumentum alterius partis dicendum, quod non est simile
 de tempore respectu motuum, et euo respectu durationis
 euiternorum. Primus enim motus cum quo tempus est realiter idem,
 est uniformior et simplicior, et notior omnibus motibus sub ipso,
 etiam omnes alii motus accipiunt terminum sue durationis in ante et 215
 post, uel secundum totum, ut motus qui sunt in rebus generabilibus
 et corruptibilibus, uel secundum partem ut motus inferiorum orbium
 qui secundum sui totalitatem non mesurantur cum non habeant
 terminum motus. Etiam primus natus est certificare quantitatem
 aliorum per modum adaequationis et replicationis in quantum aliqua 220
 pars eius adaequatur alicui parti alterius motus, et replicata reddit
 totum. Et ideo omnes conditiones mesure et mensurabilis

213 Primus ... 214 ipso] cf. Arist., *Metaph.*, X, 1, 1053a8; *Phys.*, IV, 14, 223a29.b18

reperiuntur in tempore et in primo motu respectu aliorum motuum,
 propter quod merito est unum tempus quod mensurat omnia
 225 temporalia. Non sic est de duratione primi euiterni respectu aliorum,
 imo fere omnes conditiones deficiunt, ut patuit in ratione positionis,
 ideo et cetera.

<QVESTIO SEXTA

VTRVM ESSE REI GENERABILIS ET CORRVTIBILIS MENSURETVR
 TEMPORE>

[1] Occasione predictorum queritur utrum esse rei generalibis et
 5 corruptibilis mensuretur tempore. Et arguitur quod non, quia tempus
 est mensura successiuorum, sed in esse rei generabilis et corruptibilis
 non est successio, ergo et cetera.

[2] In contrarium arguitur, quia esse rei corruptibilis non
 mensuratur eternitate (cum illa soli Deo conueniat) nec euo cum sit
 10 corruptibile, ergo per locum a sufficienti diuisione ut uidetur,
 mensuratur tempore.

[3] Responsio. Ad euidenciam huius questionis sciendum quod illa
 que dicuntur mensurari, respiciunt duplicem quantitatem; unam qua
 sunt quanta formaliter in se: Aliam extrinsecam per quam
 15 mensurantur extrinsece, et denominatur denominatione extrinseca:
 uerbi gratia, pannus qui mensuratur ad ulnam, respicit quantitatem
 qua formaliter est quantus. Item respicit quantitatem ulne quia
 mensuratur extrinsece. Et similiter est de duratione in re prout
 duratio accipitur in ratione quanti. Verbi gratia, calefactio uel

frigeffectio, que sunt quedam alterationes inferiorum corporum, 20
 habent quandam quantitatem intrinsecam, que formaliter dicitur
 duratio earum tanta circumscripito quocunque alio extrinseco, et
 preter hanc respiciunt quantitatem extrinsecam scilicet quantitatem
 motus primi mobilis secundum quam mensurantur mensuratione
 extrinseca, et secundum hanc denominationem dicuntur diuine uel 25
 mensurales uel annuales, et sic de aliis.

[4] Hoc ergo premissis circa hanc questionem sunt facienda duo
 principaliter. Primum est uidere de quantitate intrinseca talis esse
 substantie corporalis, utrum, scilicet quantitas eius sit successiua an
 non, et que illa siue sit successiua siue non. Secundum est uidere de 30
 quantitate extrinseca et de mensura extrinseca talis esse.

[5] Quantum ad primum sciendum quod in generabili est duplex
 duratio, quedam successiua, et quedam non, sicut motus. Non
 successiua autem sunt quatuor scilicet eternitas, euum, nunc
 temporis discreti, et tunc temporis continui. Duratio autem 35
 successiua diuiditur in duas scilicet continuam et discretam
 differentia autem inter durationem successiuam et non successiuam
π134vb satis patet de se, quia ex hoc ipso differunt quod | una ex natura sua
 habet successionem intrinsece, alia uero non. Dico autem ex natura
 sua, quia si aliquid succedit alteri per accidens et non ex natura sua 40
 tali non conuenit per se duratio successiua, ut si (uerbi gratia)
 existente aliquo quanto superueniat albedo inter quantitatem et
 albedinem non est per se successio, quia quantum est de se simul
 possunt stare secundum esse et fieri. Dico autem intrinsece, quia
 successio indiuisibilis que in se nullam habet successionem intrinsece 45
 potest coexistere aliquid durationi successiue, sicut, eternitas coexistit
 toti tempori, et nunc temporis discreti potest coexistere tempori

continuo. Differentia uero inter successionem continuam et discretam est, quod successio continua consistit in successione
50 eiusdem actus numero. Et hoc uocatur proprie loquendo motus cuius duratio est successiua continua que pertinent ad tempus continuum. Duratio autem successiua discreta consistit in receptione successiua diuersorum actuum in compositione circa idem subiectum quorum unusquisque est indiuisibilis (sicut patet in actibus intelligendi
55 quorum unus succedit alteri) quelibet tamen in se est indiuisibilis. Et ista duratio pertinet ad tempus discretum solum, nec est ibi ponenda quantitas solum discreta que est numerus si talis quantitas sit in talibus actibus, sed etiam ibi ponenda est quantitas discreta que est tempus, quia non solummodo est ibi dare plura, quia duo actus sunt
60 plures quam unus, et tres quam duo. Sed est etiam ibi dare plus et minus durare, quod pertinet ad tempus. Durationes autem non successiue cuiusmodi sunt eternitas et euum (de quorum differentia ab inuicem non oportet modo loqui) differunt a nunc temporis discreti uel continui, quia in eternitate et euo non solummodo non
65 est intrinsece aliqua successio continua uel discreta, sed neque etiam ibi est aliquod indiuisibile succedens alteri, nec aliquod indiuisibile terminans successionem, quia talia non sunt nisi in illis que circa idem subiectum habent esse et sunt impossibilia simul esse in illo, uel saltem aliquod unum continuum successiuum cuius indiuisibile
70 est terminus illius continui successiui. Dico autem in illis que habent fieri circa idem, quia illa que fiunt in diuersis subiectis non habent successionem per se loquendo, quia simul possunt esse et fieri. Dico autem impossibilia circa idem, quia illa que sunt compossibilia circa idem subiectum non habent per se successionem cum se
75 compatiantur simul in esse et in fieri, sicut dictum est de quantitate

et albedine, quantum ad nunc temporis continui satis patet quod se habet ut terminus continui successiui, in eternitate uero et euo nihil tale potest esse, quia actus cuius duratio est eternitas uel euum, aut non est in subiecto, aut non est possibile quod in eodem subiecto actus oppositus succedat, nec ibi est aliquid indiuisibile, quod sit 80 terminus continui successiui.

[6] Ex quo patet quod esse substantie generabilis et corruptibilis, siue quantum ad esse forme in materia, siue quantum ad esse compositi quod habet a forma habet durationem nunc temporis discreti. Quod patet dupliciter. Primo per locum a diuisione sic, quia 85 oportet quod tali esse correspondeat, uel eternitas, uel euum, uel successio continua, uel discreta, uel nunc temporis continui successiui, uel nun successiui discreti: Non eternitas nec euum (ut de se patet) nec etiam duratio successiua continua uel discreta, quia in tali actu uno est aliqua successio, nec etiam potest correspondere 90 nunc temporis continui, quia illud cui per se correspondet nunc temporis continui non potest coexistere continuo successiui, sed esse substantie corruptibilis coexistit alicui continuo successiui sicut tempori (ut de se patet) relinquatur ergo quod ei correspondeat nunc temporis discreti siue successionis discrete. 95

[7] Secundo hoc idem probatur ex ratione nunc temporis discreti siue successionis discrete, quia illud nunc respicit illud quod in se est indiuisibile, et eius susceptio cum natum est aliud succedere in eodem, et ipsum etiam natum est succedere alteri, sed talis actus est actus substantie generabilis et corruptibilis, ergo et cetera. Maior 100 patet ex ratione nunc temporis discreti. Minor etiam patet quantum ad suas tres partes. Et primo quantum ad hanc scilicet quod in ipso esse substantie generabilis et corruptibilis non est successio aliqua

quia hoc nullus ponit, nec etiam in eius susceptione, quia introductio
 105 forme substantialis est in instanti, ei etiam potest succedere aliud
 indiuisibile impossibile cum eo cir- | -ca idem, quia una forma *π135ra*
 substantialis in eadem materia succedit alteri, et ei est impossibilis,
 ergo et cetera. Et sic patet primum, horum autem aliqua dicta sunt
 assertiue, aliqua autem tantum recitatiue secundum opinionem que
 110 communiter currere consuevit, uidelicet quod nunc temporis uel
 mutatum esse in motu sit aliquod indiuisibile posituum in motu uel
 tempore, hoc enim non est uerum sicut in precedentibus probatum
 est, sed est sola fictio imaginationis.

[8] Quantum ad secundum principale scilicet quantum ad
 115 mensuram extrinsecam talis esse. Dicunt quidam quod respectu
 durationis rerum corruptibilium est dare mensuram extrinsecam
 unigeneam. Quod probatur primo sic, cui conuenit per se durare
 conuenit passio durationis, sed omnibus talibus actibus conuenit per
 se durare, ergo eis conuenit passio durationis. Sed una passio
 120 durationis est durare tantum uel quantum, ergo istud competit
 omnibus talibus actibus, sed cui competit tantum uel quantum ei
 competit commensuratio que est passio quantitatis, ergo et cetera.
 Secundo sic, tempus discretum est quantitas successiua, sed omnia
 quanta habent commensationem cum ipsa sit passio quantitatis,
 125 ergo et cetera. Et confirmatur, qui quantitates permanentes omnes
 habent, inter se commensationem secundum quam dicitur una
 maior altera, uel minor uel equalis, ergo et quantitates successiue, ut
 ille que pertinent ad tempus continuum uel discretum.

[9] Propter quod dicunt isti quod in predictis de quibus est
 130 questio, est dare unam mensuram unigeneam respectu omnium
 aliorum, addunt tamen quod in istis est triplex comparatio. Vna est

unius indiuisibilis ad aliud indiuisibile. Alia ipsius quanti discreti ad partes suas, id est, ad nunc ex quibus componitur. Tertia est unius successionis discrete ad aliam successionem discretam. In prima comparatione est talis commensuratio, sicut est inter euiterna 135 inquantum eorum durationes sunt indiuisibiles. In secunda uero comparatione est talis commensuratio quodammodo sicut mensuratur numerus per unitatem, quia illud nunc aliquotiens sumptum reddit totum discretum, in hoc tamen differt inter numerum absolute acceptum et tempus discretum, quia quantum ad 140 numerum pertinet, attenditur quod sint plures uel pauciores unitates, quantum uero pertinet ad tempus discretum non solum attenditur quod sint plura uel pauciora nunc, sed etiam quod secundum ea contingat plus uel minus durare. Secundum autem tertiam comparationem est ibi similis commensuratio sicut est inter 145 successiones diuersorum motuum, nisi quia in hoc differt quod in motibus est successio continua, in istis uero est successio discreta.

[10] Istud autem non uidetur sufficienter dictum, quia si est una mensura extrinseca et unigena omnium generabilium et corruptibilium (ut isti dicunt) rationabile esset quod illa nominaretur 150 ut sciretur que est, sicut PHILOSOPHUS IV P h y s i c o r u m nominat primum motum esse mensuram omnium aliorum motuum. Cum quo primo motu tempus continuum quod est mensura omnium inferiorum motuum est idem realiter, hoc autem ipsi non faciunt.

[11] Item si est una, aut est una numero, aut solum una secundum 155 speciem. Si est una numero, puta duratio unius rei numero, sequitur quod mensura frequenter mutabitur, quia omne corruptibile cito

deficit, et per consequens definit esse mensura, propter quod alia
 creabunt mensura, quod est contra eos. Aut de nouo habebunt aliam
 160 rem corruptibilem pro mensura. Et illa corrupta aliam, et sic semper:
 quod est absurdum, tum quia non omnia corruptibilia eiusdem
 speciei sunt equalis durationis, et sic mensura erit incerta, quod est
 contra rationem mensure que debet esse certa, et per ipsam debent
 alia certificari. tum quia iam non erit una mensura numero, sed
 165 plures saltem successiue. Si uero mensura non sit una numero, sed
 solum secundum speciem, et plures secundum numerum simul cum
 species non habeat esse reale, nisi per indiuidua, nec per consequens
 realiter mensurare, tunc omnia indiuidua speciei eiusdem erunt
 mensura aliorum corruptibilium. Non enim apparet quare quedam
 170 sint mensura, et quedam non, sed ratione speciei competit eis esse
 mensuram, hoc autem est manifestum inconueniens.

[12] Primo, quia contra rationem mensure est pluralitas. Secundo,
 quia non omnia indiuidua eiusdem speciei sunt equalis durationis, et
 ita si quodlibet esse mensura, sequeretur quod mensura est uaria, et
 175 per consequens incerta, quod est contra rationem mensure. Tertio,
 quia duratio cuius- | -libet indiuidui corruptibilis est ignota et *π135rb*
 incerta, et ideo siue omnia indiuidua ponantur esse mensura, siue
 plura, siue unum, totum est incertum et contra rationem mensure.
 Item si per unum corruptibile mensuratur esse omnium aliorum
 180 corruptibilium, aut illud est supreme speciei que est humana, aut
 infime sicut est elementalis. Et maxime terra uel alicuius ex mediis
 speciebus. Et quicquid istorum detur non poterit ostendi qualiter per
 quodcunque istorum possit notificari duratio et quantitas durationis
 aliorum.

[13] Comparatio etiam quam faciunt non est bona. Quod enim 185
 primo dicunt quod comparatio est unius rei corruptibilis ad esse
 alterius, est sicut comparatio unius euiterni ad aliud euiternum,
 contra eos est, quia unum euiternum non mensuratur per aliud, ut
 patet ex precedente questione. Et dato quod mensuraretur adhuc non
 est simile, quia omnium euiternorum secundum naturam est eadem 190
 duratio. Et ideo quodlibet durat quantum aliud, sed inter
 corruptibilia non est sic.

[14] Quod etiam dicunt secundo quod esse unius rei corruptibilis,
 uel nunc temporis discreti est mensura successionis corruptibilium,
 uel nunc temporis discreti sicut mensuratur numerus per unitatem: 195
 non ualet, quia unitas aliquotiens sumpta reddit precise totum
 numerum, et sic mensurat ipsum. Sed unius rei corruptibilis duratio
 quotienscunque sumpta non reddit precise durationes aliorum, nisi
 quantam ad numerum, nec hoc facit aliqua duratio ratione rei cuius
 est, sed ratione quia una est. Et ibi unitas replicata reddit numerum 200
 durationum, sed quantum ad quantitatem durationum nihil tale est
 ibi, quia non tantum durat esse unius rei corruptibilis quantum esse
 alterius. Et ideo replicatio unius precise non reddit omnes durationes
 aliarum, sed uel excedit uel deficit. Et talis excessus uel defectus non
 potest mensurari ex ratione durationis unius rei corruptibilis, nec 205
 secundum se, nec secundum aliquam partem sui. Non secundum se,
 ex quo est ibi excessus uel defectus ex eius replicatione. Nec
 secundum partem sui, quia esse talis rei non habet secundum se
 partem et partem, sed est totum simul duratione, propter quod
 oportet quod mensura talium aliunde accipiatur. Tertia comparatio 210
 est clare falsa quantum ad rationem mesure et mensurati, quia inter
 motus continuos est dare unum motum diurnum, cuius duratio est

notior et certior, et per eam uel aliquam eius partem certificamur de
 duratione aliorum. Non sic autem est in successione discreta, nec
 215 aliquis hoc hactenus assignauit, nec assignare potest.

[15] Dicendum ergo quod duratio rei corruptibilis, uel successionis
 formarum corporalium circa eandem materiam non habet mensuram
 extrinsecam unigenam. Cuius ratio est, quia illud quod non est
 realiter quantum, sed solum secundum rationem prout coexistit
 220 alicui realiter quanto habet mensuram sue quantitatis secundum
 rationem ab eo quod est quantum secundum rem uel eandem cum
 ipso, quia cum quantitas rationis sumatur totaliter a quantitate reali
 cui coexistit, uidetur quod mensuretur per eam, uel saltem habet
 eandem mensuram cum ea, quia una dicitur tanta secundum
 225 rationem quanta est alia secundum rem, unde uel una est mensura
 alterius uel ambe habent eandem mensuram. Sed esse rei corruptibilis
 et duratio eius non sunt quanta, seu extensa secundum rem, sed
 solum secundum rationem prout coexistunt alicui durationi, quante
 et extense (puta motui) ergo habet ipsum pro mensura uel eandem
 230 mensuram cum ipsa, puta tempus. Et huic consentit expresse
 ARISTOTELES IV P H Y S I C O R U M ubi dicit sic: *Quecunque
 generabilia et corruptibilia sunt et omnino que aliquando fiunt,
 aliquando autem non sunt, necesse est in tempore esse.* Est enim
 quoddam tempus plus quod excellit esse ipsorum et mensurat
 235 substantiam, huic etiam alludit communis modus loquendi concors
 modo loquendi sacre scripture, utrobique enim dicitur et scribitur
 quod talis, puta Adam uel quicumque alius uixit tot annis, et mortuus

231 Quecunque ... 233 esse] Arist. *Phys.* IV, 12, 221b28-30: transl. uetus

229 ipsum] alias rationum *i. m. add. π*

est, ita quod uiuere quod est esse uiuentium generabilium et corruptibilium mensuratur diebus, mensibus et annis que sunt partes temporis continui. Et sic patet quod mensura extrinseca durationis 240 esse rerum generabilium et corruptibilium non est tempus discretum nec nunc eius, sed tempus continuum cui coexistit.

[16] Ad rationes alterius opinionis. Respondendum est ad primam, *π135va* quia passio durationis realiter quante et exten- | -se qualis est duratio successiua et continua est durare tantum uel quantum. Et omnia talia 245 habent mensuram unigeneam que est motus primus seu tempus, durationi autem que non est secundum rem quanta uel extensa, sed solum secundum rationem, quia coexistit durationi quante et extense non conuenit secundum se, nec per se durare tantum uel quantum, nec per consequens habet mensuram sibi unigeneam per quam 250 mensuretur esse tanta uel maior uel minor, quia nihil horum conuenit ei secundum se, sed solum secundum coexistentiam ad motum uel ad tempus, et tunc illud est mensura eius, uel habet eandem mensuram cum illo. Quod etiam additur quod illud cui competit esse tantum quantum est aliud competit commensuratio. Si 255 intelligimus sic quod unum istorum sit mensura alterius, falsum est, quia duorum pannorum equalium unus non est mensura alterius. Ad rationem enim mesure non sufficit quod equetur quantitati alterius, sed requiritur quod sit aliquid certius et notius, et quod per ipsum certificemur de quantitate mensurati: unde dato quod esse duorum 260 corruptibilium equaretur in duratione, non tamen propter hoc unum esset mensura alterius uel e conuerso nisi per unum eorum tanquam per aliud notius certificaremur de duratione alterius quod non contingit inuenire inter corruptibilia, ut prius deductum fuit.

265 [17] Ad secundum dicendum quod tempus discretum est quantitas,
 et habet mensuram ad modum numeri, quia plures sunt durationes
 plurium corruptibilium quam unius, et hec pluralitas mensuratur
 unitate sicut et numero, sed non habet aliam mensuram durationis
 270 coexistentiam ad aliquam durationem quantam et extensam. Et tunc
 habet eandem mensuram cum ipsa puta tempus continuum, ut
 dictum fuit.

[18] Confirmatio autem que additur est magis ad oppositum quam
 ad propositum: quia quantitas discreta permanens non habet
 275 mensuram nisi unitatem, cuius replicatione mensuratur totus
 numerus, et idem est de quantitate discreta successiua, quia
 permanens et successiuum in discretis ut discreta sunt non habent
 diuersas mensuras, sicut enim mensuratur unitate centenarius
 lapidum, sic centenarius intellectionum sibi inuicem succedentium.

280 [19] Ad rationem in principalem dicendum quod tempus
 continuum est per se mensura successiuorum, continuorum, per
 accidens autem mensurat ea que successiuis coexistunt, quorum
 initium et finis extenduntur tempore, et sic esse generabilium et
 corruptibilium mensuratur tempore, ut patet IV P h y s i c o r u m .

285 [20] Argumentum in oppositum concedatur propter
 conclusionem, quanuis ex forma arguendi procedat ab insufficienti.

<DISTINCTIO TERTIA>

[1] Ecce ostensum est. Superius Magister determinauit de tempore et loco creationis angelorum, hic uero determinat de conditionibus ipsorum. Et diuiditur in tres partes. Primo determinat eorum conditionem quantum ad ea que in creatione receperunt. Secundo 5 quantum ad conuersionem et auersionem posteam assecutam. Tertio quantum ad ordines et officia. Secunda ibi in principio 5. distinctionis: Post hoc consideratio. Tertia in principio 9. distinctionis ibi: Post predicta. Prima diuiditur in tres. Prima determinat eorum conditionem uel qualitatem quantum ad dona 10 naturalia. Secundo quantum ad dona gratuita. Tertio quantum ad dona perfecta. Secunda ibi: Illud quoque inuestigatione. Tertia in principio 4. distinctionis ibi: Postea hoc uidendum. Prima pars diuiditur in duas partes. Primo proponit qualia naturalia angeli receperunt. Secundo comparat eos ad inuicem quantum ad dona 15 recepta. Secunda ibi: Hic autem considerandum. Et ista secunda diuiditur in quatuor partes. Primo comparat eos ad inuicem secundum differentiam, declarando per simile. Secundo remouet quoddam dubium. Tertio comparat eos ad inuicem secundum conuenientiam. Quarto excusat se a perfecta determinatione. 20 Secunda incipit ibi: Et sicut differens uigor. Tertia: Et sicut in predictis angeli differebant. Quarta ibi: Has distinctiones. Illa pars que incipit ibi: Illud quoque inuestigatione dignum habetur. In qua *π135vb* determinat eorum qua- | -litatem uel conditionem, quantum ad gratuita, diuiditur in tres. Ad cuius euidenciam sciendum est quod 25 gratia tria facit, reddit bonam uoluntatem, intellectum, et elicit

delectationis actum. Et propter hoc ista pars diuiditur in tres partes. Primo determinat de bonitate et malitia angelorum. Secundo de ipsorum cognitione. Tertio de ipsorum delectione. Secunda incipit:
 30 Hic inquiri solet. Tertia solet autem inquiri. Prima in tres diuiditur. Primo mouet questionem. Secundo tangit circa hanc unam opinionem et ipsam auctoritatibus confirmat. Tertio ponit aliam opinionem. Secunda incipit ibi: Putauerunt enim quidam. Tertia: Aliis autem uidetur. Et hec tertia diuiditur in quatuor partes. Primo
 35 mouet opinionem. Secundo confirmat eam. Tertio docet quomodo auctoritates contrarie soluantur. Quarto hanc opinionem confirmatam concludit. Secunda ibi: Et ad hoc confirmandum. Tertia ibi: Ideoque Augustinus. Quarta: Ex predictis igitur. Hec est diuisio in generali.

40 [2] In principali sic procedit MAGISTER, et proponit primo quod quatuor circa qualitatem angelorum sunt considerata que acceperunt in principio, scilicet essentie simplicitas, distinctio personalis, uigor cognitionis, et libertas arbitrii. Prima duo pertinent ad substantiam. Tertium ad formam. Quartum ad potestatem. Postea
 45 dicit quod differentem habent simplicitatem et differentem cognitionem secundum magis et minus. Sicut enim quedam corpora digniorem formam et essentiam receperunt quam alia, sic et quidam angeli simpliciorem et perspicaciorem cognitionem habent quam alii. Deinde dicit quod sicut differentem naturam acceperunt, sic sequitur
 50 in eis differenter cognitio et differentia liberi arbitrii secundum magis et minus, nulla superfluitas in natura, nulla ignorantia in intellectu, nulla necessitas in eorum libero arbitrio intelligatur. Postea dicit quod omnes conueniunt in natura et simplicitate in generabilitate et corruptibilitate. Vltimo dicit quod eorum distinctiones solus ipse

comprehendit qui eos creauit. Deinde proponit primo, utrum angeli 55
sint creati boni an mali. Et utrum aliqua mora fuit inter creationem
eorum et lapsum. Deinde ponit unam opinionem quorundam circa
hoc dicentium angelos malos creatos et nullam moram fuisse inter
creationem et lapsum, et hoc confirmat cum auctoritate Domini
dicentis in I o b , Diabolum fuisse homicidam ab initio, et quod in 60
ueritate non stetit auctoritate I o b , qui dicit Diabolum esse initium
figmenti Dei ad illudendum ei, qui etiam dicunt angelos qui
perstiterunt fuisse creatos perfectos et bonos, quorum utrumque
confirmat auctoritate AVGVSTINI. Postea ponit contrariam opinionem
que dicit angelos creatos fuisse bonos et iustos quantum ad carentiam 65
culpe. Sed in bono iustitie per gratiam non confirmatos, et aliquam
moram fuisse inter creationem et lapsum. Deinde hanc opinionem
confirmat auctoritate AVGVSTINI Super Genesi ad
Litteram qui facit rationem quia a creatore optimo non potuit
mala creatura fieri, quod si malum angelum fecisset Deus in eo 70
malitiam non puniret, nec fecisset omnia ualde bona. Postea soluit
contrarias auctoritates dicens, quod Diabolus dicitur figmentum,
quia preuidit Deus ipsum lapsum, et ordinauit quanta bona ex
malitia ipsius bonis secuta sunt, quia ipsi ex eius tentatione
proficiunt. Subdit etiam quod Diabolus dicitur in ueritate non 75
stetisse, quia a ueritate cecidit a qua non cecidisset si malus creatus
fuisset, fuit enim creatus bonus ab initio, sed statim post initium
temporis apostatauit et seipsum occidit. Vel dicitur Diabolus
homicida ab initio creationis hominis quod per inuidiam fallaciter

60 Diabolum ... initio] *Ioan.*, 8,44

61 Diabolum ... 62 ei] *Iob*, 40,14: iuxta uersionem antiquiorem ap. Aug.

64 auctoritate Avgvstini] Aug., *De Gen. ad lit.*, XI, 16, 21 (349)

69 a ... 70 fieri] Aug., *De Gen. ad lit.*, I, 1, 3 (4)

80 seducendo occidit. Et hanc opinionem confirmat per auctoritatem
 ORIGENIS. Deinde post istam opinionem sic confirmatam concludit
 dicens, quod angeli ab initio cognouerunt Dominum, et se et
 creaturas, et aliquam notitiam boni et mali habuerunt. Vltimo autem
 dicit qualem dilectionem habuerunt dicens, quod naturali dilectione
 85 Deum et se diligebant, non tamen meritorie, quod a multis non
 tenetur. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

<QVESTIO PRIMA.

VTRVM ANGELI SINT COMPOSITI EX MATERIA ET FORMA > |

π136ra

[1] Circa distinctionem istam queruntur quatuor. Primum est de
 angelorum simplicitate. Secundum est de eorum personalitate seu
 5 indiuisione. Tertium est de eorum multitudine. Quartum est de
 eorum cognitione. Quantum ad primum queritur, utrum angeli sint
 compositi ex materia et forma. Et arguitur quod sic, quia substantia
 diuiditur in materiam et formam et compositum, sed angelus non est
 materia, quia esset solum potentia. Nec forma cum illa sit altera pars
 10 compositi, ergo est compositus.

[2] Item illud quod est per se in genere est totum compositum
 (quia materia et forma non sunt in genere nisi per reductionem) sed
 angelus est per se in genere, ergo est compositus.

80 auctoritatem ... 81 Origenis] Orig., *Hom.*, I, 3 (PG 13, 671B)

7 substantia ... 10 compositus] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 3, 1, 2 (29a); Thom.,
Super Sent., II, 3, 1, 1, arg. 1 (85); ps.-Henr. de Gand., *Quaest.*, 5 (62,104-108); Aeg. Rom.,
Quodl., I, 8, arg. 1 (17b); Boeth., *In Cat. Arist.*, I (184A-B)

[3] Item AVGVSTINVS dicit libro De mirabilibus sacre
 scripture, quod Deus omnipotens ex informi materia quam prius 15
 de nihilo condidit cunctarum rerum sensibilibum et insensibilibum
 intellectu carentium species multiformes diuisit, ergo materia est in
 cunctis creaturis, quare et in angelis.

[4] In contrarium est quod dicit DIONYSII 4. distinctione De
 [divinis] nominibus quod angeli sunt omnino 20
 immateriales et incorporeales. Et BOETIVS in libro De duabus
 naturis, quia natura incorporee substantie nulli innititur materie
 fundamento. Constat autem quod angelus est nature incorporee,
 quare etc.

[5] Responsio. Circa questionem uidenda sunt duo. Primum est, 25
 utrum angelus sit compositus ex materia et forma. Secundum est,
 utrum sit compositus ex genere et differentia.

[6] Quantum ad primum, probant aliqui angelum non esse
 compositum ex materia et forma duplici ratione. Prima sumitur ex
 conditione operationis. Et est talis, *illud cuius propria operatio est per* 30
se intelligere non habet materiam partem sui, sed angelus est huiusmodi,
ergo et cetera. Minor patet, maior probatur. Ad cuius evidentiam
sciendum est quod substantie materiali non conuenit intelligere non
solum propter quantitatem, sed propter potentialitatem et

14 Avgvstinvs ... 17 diuisit] Aug. Hib., *De mirab. s. script.*, I, 1 (2151a)

19 In ... 21 incorporeales] etiam ap. Thom., *De spirit. creat.*, 1, sed contra 1 (9,212-214)

In ... 23 fundamento] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 3, 1, 1, sed contra (85-86)

Dionysii ... 21 incorporeales] cf. ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (148c-d); transl. Sarraceni

21 Et ... 23 fundamento] cf. etiam Thom., *Quodl.*, IX, 4, 1, sed contra (101,58-62); Aeg. Rom., *Report.*, II, 20, (228,4-5); Bonau., *Super Sent.*, II, 3, 1, 1, 1, sed contra (90a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 3, 1, 2 (29a)

Boetivs ... 23 fundamento] Boeth., *Contra Eut.*, 6 (230,532-533)

28 aliqui] cf. Thom., *S.th.*, I, 50, 2, resp.; *Super Sent.*, II, 3, 1, 1, sol. (86-87); Aeg. Rom., *Report.*, II, 20 (228,13-229,15)

30 illud ... 47 angelus¹] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 3, 1 (208bA-C)

35 *imperfectionem materie, quod ex hoc patet: quia in corporibus siue in*
corporalibus subiectis illud quod est magis materiale et imperfectum et
potentiale magis est remotum a cognitione, unde corpora inanimata, uel
insensibilia non possunt habere maiorem cognitionem propter maiorem
potentialitatem et materialitatem. Ex quo potest accipi maior ista, quod
 40 *illud cui conuenit nobilior modus cognoscendi qui potest esse, oportet*
omnino esse liberum ab eo quod est pura et ab omni materia que sit
simpliciter materia et pura potentialitas, sed illud cui conuenit intelligere
est huiusmodi, quia licet in intelligendo sunt diuersi gradus, comparando
tamen generales modos cognoscendi, intelligere est nobilior modus, quare
 45 *et cetera.*

[7] *Secunda ratio talis est, anima non habet materiam partem sui,*
ergo nec angelus, consequentia patet, quia perfectior est angelus quam
anima. Antecedens supponatur nunc, quia probatum fuit sufficienter
in I libro dist. 8.

50 [8] *Iste rationes non concludunt. Quod patet de prima sic:*
Operatio enim intelligendi dicitur alicuius esse dupliciter. Vno modo
sicut suppositi operantis. Alio modo sicut principii elicentis, uel
immediate suscipientis. Primo modo est falsa maior propositio que
dicit quod illud cuius intelligere est propria operatio non habet
 55 *materiam partem sui, quia homo est quod intelligit ut suppositum*
cuius operatio est intelligere, et tamen homo habet materiam partem
sui. Secundo modo uera est, quia illud quod est principium
elicitium, uel susceptium actus intelligendi non habet materiam
partem sui. Et hec in homine est anima intellectiua cum sua potentia.

46 anima ... sui] cf. supra, I, 8, pars 2, 2 (37rb-vb)

47 quia ... 48 anima] i. m.: questione 2 secun<de> partis

Similiter potest dici quod angelus est illud cuius operatio est 60
intelligere ut suppositi operantis. Et ob hoc non oportet quod sit
compositus ex materia et forma sicut et homo. Sed angelus non est
principium elicitiuum, uel susceptiuum operationis intelligendi
secundum se totum, sed forma eius que non habet materiam partem
sui sicut nec anima in homine. 65

[9] Ad secundam rationem dicendum negando consequentiam,
nulla enim est consequentia sic arguere, pars speciei non est
composita, ergo neque species, cum ergo anima rationalis sit pars
speciei et non completa species, angelus autem est quid completum
in specie, nulla consequentia est si anima non est composita ex 70
π136rb materia et forma quod An- | -gelus non sit compositus eadem
compositione.

[10] Tenendo ergo eandem conclusionem probo eam dupliciter.
Primo sic: angelus est compositus ex materia et forma aut illa forma
est separabilis a materia, aut non, si sit separabilis, angelus erit 75
corporalis, quod negatur ab omnibus. Si non sit separabilis, contra,
forma que est separabilis, est perfectior quam illa que non est
separabilis, quia minus dependet. Sed anima que est forma hominis
est separabilis a materia, forma autem angeli (ut tu dicis) non est
separabilis, ergo perfectior et nobilior erit forma hominis quam 80
forma angeli, ergo homo erit perfectior angelo (Quia perfectio rerum
mensuratur secundum perfectionem formarum). Hoc autem est
inconueniens, quare et cetera.

[11] Secundo sic: Illa substantia que non habet aliquam
cognitionem preter intellectiuam non indiget materia quocumque 85
modo, nec ut parte, nec ut subiecto: sed angelus non ponitur habere
cognitionem nisi intellectiuam, ergo non habet materiam

quocumque modo. Minor supponitur ab omnibus communiter loquentibus, et posset probari, quia nulla cognitio superior est
 90 intellectiua, nec est aliqua ea inferior nisi sensitiua. Sensitiua autem non est nisi in organo composito ex contrariis quod est corporale, et ideo repugnat angelo cum sit incorporalis, nullam ergo cognitionem habet angelus nisi intellectiuam, et hoc fuit minor. Maior probatur, quia cum materia sit propter formam ut dicitur *II P h y s i c o r u m* .
 95 Forma nunquam unitur materie, nisi indigeat ea quo ad esse, uel quo ad operari, forma autem angeli si que esset ut pars, non indigeret materia quo ad esse nisi poneretur angelus corporalis, ut prius dictum est, nec quo ad operari, quia operatio intellectiua que est propria angeli non indiget materia ut subiecto, quia hoc modo nullum
 100 intelligere indiget materia uel corpore. Si autem indigeret ea ut obiecto necesse esset quod angelus haberet aliam cognitionem inferiorem intellectiua, per quam representaretur sibi suum obiectum, sicut per phantasiam representatur intellectui nostro obiectum, quare etcetera. et sic patet primum.

105 [12] Circa secundum (scilicet an in angelo sit compositio ex genere et differentia) notandum, quod differt esse in genere et esse compositum ex genere et differentia. Ad hoc enim quod aliquid sit genus, uel in genere sufficit quod sit limitatum re et ratione. Genus enim uel esse in genere important quandam limitationem, etiam ex
 110 suo nomine, unde Deum qui est illimitatus re, et ens in communi quod est illimitatum ratione non dicimus esse genere, nec esse in genere. Istud autem non sufficit ad hoc quod aliquid sit compositum

94 ut ... Physicorum] cf. *Auct. Ar.*, 2, 61 (145,15); *Arist., Phys.*, II, 2, 194a27-28; II, 8, 199a31-32

107 Ad ... 112 genere] *Auerr., De an.*, III, 5 (409,661-410,663)

ex genere et differentia, sed requiritur quod sit compositum ex partibus facientibus unum per essentiam, in simplicibus enim siue substantiis, siue accidentibus non est proprie differentia. 115

[13] Quod patet primo, quia differentia predicatur de specie in quale, sicut apparet ex ipsa ratione differentie quam assignant PORPHIRIVS et PHILOSOPHVS V *M e t a p h y s i c e*. Sed illud quod dicit totam rei naturam nullo modo potest predicari in quale, sed predicatur in quid: ergo differentia non dicit totum quicquid dicit 120 species, sed partem. Hoc autem non potest esse in simplicibus, ergo in simplicibus non est dare differentiam.

[14] Secundo, quia quando conceptus sunt eiusdem rei simpliciter, et eque determinati sub indeterminato conceptu generis qua ratione unus eorum esset conceptus speciei, eadem ratione et alius, sed in 125 simplicibus conceptus speciei et differentie constituentis speciem (si qua esset) essent eiusdem rei omnino, nec differrent ut totum et pars, essent etiam eque determinati, ergo qua ratione unus esset conceptus speciei, eadem ratione et alius. Et ita differentia iam non esset differentia, sed species, quare etc. 130

[15] Tertio, quia in compositis aliud est quod differt, et quo differt, quod constituitur, et quo constituitur (simplicia autem seipsis constituuntur et seipsis differunt). Cum igitur differentia sit qua species sub genere constituitur, et ab alia specie distinguitur, patet quod differentia in compositis habet locum, non autem in 135 simplicibus. In huius signum nullus assignavit unquam differentias accidentium, nec assignavit diffinitionem que est ex genere et differentia, nisi in substantiis compositis. Ex hoc apparet secundum

propositum, scilicet quod angelus licet sit in genere, quia | limitatus *π136va*
 140 est re et ratione, tamen non est proprie compositus ex genere et
 differentia, cum sit substantia simplex.

[16] Ad primum argumentum dicendum quod illa diuisio
 substantie in materiam formam, et compositum est substantie
 materialis et transmutabilis, quia per transmutationem illa tria
 145 innotescunt, materia quidem ut subiectum, forma ut terminus, et
 compositum quod resultat ex hoc quod per transmutationem forma
 sit in materia. Sed substantia absolute accepta, prout consideratur a
 metaphysico, non comprehenditur sub illis membris, quia est dare
 substantiam simplicem per se subsistentem, que non est pars alterius,
 150 nec ex alteris composita, ut probatur II *Metaphysice* et talis est
 angelus.

[17] Ad secundum argumentum patet per idem.

[18] Ad tertium dicendum quod AVGVSTINVM frequenter sequi
 uidetur opinionem illorum qui posuerunt angelos habere corpora et
 155 per consequens oportet quod dicat angelos esse compositos ex
 materia et forma non ex intentione hoc asserendo, sed secundum
 opinionem aliorum loquendo.

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM PERSONALITAS SEV INDIVIDVATIO COMPETAT ANGELIS>

[1] Circa secundum sic proceditur. Et uidetur quod personalitas seu indiuiduatio non competat angelis, quia forma indiuiduatur per hoc quod recipitur in materia signata. Sed angelus est forma subsistens 5 per se absque materia: ergo ei non competit esse indiuiduum.

[2] Item PLATO formas quas posuit separatas dicit esse uniuersales. Sed angeli sunt forme a materia separate, ergo et cetera.

[3] In oppositum est, quia actiones sunt singularium, angeli aliqua agunt, ergo et cetera. 10

[4] Item secundum BOETIVM *quicquid est, ideo est*, quod uno numero *est*.

[5] Responsio. Huic questioni premittendum est unum scilicet quod hoc indiuiduum, suppositum et persona aliquo modo sunt idem, et aliquo modo differunt, quelibet enim natura singularis in 15 quocumque genere sit, potest dici indiuidua: suppositum aut non dicitur nisi natura singularis in predicamento substantie, nec quecumque talis, sed solum completa persona dicitur illud idem in natura intellectuali solum, ergo omnis persona est suppositum, et omne suppositum est indiuiduum. Sed non omne indiuiduum est 20 suppositum, nec omne suppositum est persona.

7 Item ... 8 cetera] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (235,6-8)

Plato ... 8 separate] Arist., *Metaph.*, VII, 14, 1039a25-26; XIII, 9, 1086a33-34

9 In ... 10 cetera] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (235,9); Arist., *Metaph.*, I, 1, 981a17

11 Boetivm] rectius Domin. Gundiss., *De unitate* (3,8-9); Boeth., *Contra Eutychem*, 4 (220,298-300)

18 persona ... 19 solum] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 23, 1, 1, sol. (557); II, 3, 1, 2, arg. 4 (90); cf. etiam Alb., *Super Sent.*, II, 3, A, 5, sol. (69b); ex Boeth., *Contra Eut.*, 3 (214,168-171)

[6] Nunc ergo tractabitur questio secundum illud quod est communis scilicet quod sit principium indiuiduationis tam in materialibus quam in immaterialibus. Et sunt de hoc due opiniones.
 25 Prima est quod materia est primum et per se principium indiuiduationis in habentibus materiam. Cuius ratio est, quia illud quod de se est indiuiduum uidetur esse aliis causa indiuiduationis. Sed in materialibus materia est de se indiuidua, ergo et cetera. Maior patet, quia quod secundum se est tale puta calidum, uidetur aliis esse
 30 causa caliditatis. Et similiter in proposito nostro, quia quod secundum se indiuiduum est uidetur esse causa indiuiduationis in alias. Minor probatur, quia illud est indiuiduum, quod de se non est aptum natum esse in multis, quemadmodum per oppositum uniuersale dicitur quod est aptum *natum esse in multis*. Sed sola
 35 materia in rebus habentibus materiam est huiusmodi, ipsa enim sola (ex hoc quod est primum subiectum) habet quod non sit in alio, sed alia sint in ipsa, ergo ipsa de se est indiuidua. Alia autem indiuiduantur quatenus recipiuntur in ipsa sicut forma substantialis et accidentalis. Per eandem rationem forma que in alio non recipitur
 40 (ut angelus) secundum se est indiuidua et una numero. Nec est huius alia causa querenda, cum predicatum claudatur in ratione subiecti.

[7] Qui sic dicunt falluntur equiuocatione, nam non esse in aliquo uno uel pluribus, multipliciter dicitur, sicut esse in aliquo multipliciter dicitur. Esse enim in aliquo est duplex. Vno modo per
 45 inherentiam ut albedo est in corpore. Alio modo per identitatem et essentialem predicationem ut homo in Sorte. Esse in pluribus primo

25 Prima ... 39 accidentalis] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (236,23-32)

29 quod ... 30 caliditatis] cf. Thom., *De pot.*, 6, 1, resp. (159a)

32 illud ... 34 multis] cf. *Auct. Ar.*, 32, 10 (305,42-43); Arist., *De interpr.*, 7, 17a39-40

modo scilicet per inherentiam, non est de ratione uniuersalis. Tum quia secundum hoc substantie complete, que non habent esse in alio per inherentiam non possent habere rationem uniuersalis generis, aut
 π136vb speciei, et sic peri- | -ret predicamentum substantie in quo sunt per se 50
 substantie complete. Tum quia si esse in multis per inherentiam esset de ratione uniuersalis, esse in uno solo esset de ratione indiuidui et singularis. et sic materia cum in nullo sit per inherentiam, nec in uno nec in pluribus non posset habere rationem uniuersalis aut singularis. Cuius oppositum assumunt. Relinquitur ergo quod esse uel non esse 55
 in aliquo uno uel pluribus per inherentiam, nihil facit per se hoc quod aliquid sit uniuersale uel indiuiduum, seu singulare. Ex quo tamen sensu procedit hec opinio, esse autem in pluribus per realem identitatem, et dici de pluribus per predicationem essentialem est de ratione uniuersalis. Sic enim *uniuersale est unum in multis*, et per 60
 oppositum indiuiduum uel singulare est in uno solo, et dicitur de uno solo. Isto autem modo non plus conuenit materie esse in uno solo, nec plus repugnat ei esse in pluribus et dici de pluribus quam forme, sicut enim forma ut albedo dicitur de hac, et de illa, et est in illis per modum quo uniuersale est in singularibus, sic etiam materia 65
 dicitur de hac et de illa, et est in illis per modum quo uniuersale est in singularibus, patet ergo quod hec opinio procedit equiuoce.

[8] Alia est opinio quod in materialibus quantitas est principium indiuiduationis, substantie uero separate seipsis indiuiduantur. Primum patet sic, quia per illud constituitur aliquid in esse indiuidui 70

60 uniuersale... multis] *Auct. Ar.*, 35, 124 (321,76); Ioh. Pecham, *Quaest. disp. de an.*, 5 (368,23-24); cf. Arist., *Anal. Post.*, II, 19, 100a6-8

68 Alia... 86 cetera] Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (236,41-237,51); *Quodl.*, II, 7, resp (66a); cf. etiam Thom., *S.th.*, I, 50, 2, resp.; *S.c.g.*, II, 50 (143b); *Super Sent.*, II, 3, 1, 2, sol. (90-91); *De ente et essentia*, 2 (371,67-84); cf. etiam ap. Duns Scot., *Ord.*, II, 3, 1, 4 (423,7-425,2); God. de Font., *Quodl.*, VII, 5 (322)

per quod distinguitur ab alio indiuiduo eiusdem speciei, sicut per idem constituitur aliquid in specie, et differt ab eis que sunt alterius speciei. Sed unum indiuiduum differt ab alio eiusdem speciei primo per quantitatem, ergo quantitas est primum principium
 75 indiuiduationis. Maior patet, sed minor probatur, quia duo indiuidua eiusdem speciei non differunt in quidditate seu natura communi, sed magis conueniunt, et per consequens non differunt per materiam et formam absolute, quia hec sunt partes quidditatis communis, et ponuntur in diffinitione, differunt autem per hanc formam et hanc
 80 materiam, sed forma non est hec nisi quia recipitur in materia signata, materia autem signatur per quantitatem, ergo per quantitatem primo differunt indiuidua eiusdem speciei: ipsa igitur est primum principium indiuiduationis. Et confirmatur, quia per illud indiuiduatur forma per quod habet quod non sit multis
 85 communicabilis, sed hoc habet ex eo quod recipitur in materia signata dimensionibus determinatis, ergo et cetera. Sicut autem forma materialis habet quod sit incommunicabilis per hoc quod recipitur in materia signata, sic forme uel potius substantie separate a materia a seipsis habent quod sint incommunicabiles pluribus, et ideo
 90 seipsis sunt singulares et indiuidue.

[9] Hec autem positio deficit in se et in suis rationibus. In se quia dicit quantitatem esse primum principium indiuiduationis, quia subiectum naturaliter prius est accidente. Sed compositum ex materia et forma subiectum est quantitatis non solum secundum rationem et
 95 intellectum qui facit uniuersalitem in rebus, sed potius secundum

86 Sicut ... 88 signata] Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (237,48-50)

88 sic ... 90 indiuidue] Aeg. Rom., *Report.*, II, 25 (239,122-126)

91 Hec ... 102 opinio] cf. Duns Scot., *Ord.*, II, 3, 1, 4 (429,17-431,6)

esse in re extra secundum quod unumquodque est singulare et unum numero: ergo compositum ex materia et forma prius est hoc aliquid, et unum numero (saltem ordine nature) quam sit quantum, non ergo primum principium indiuiduationis est quantitas imo nec principium, cum sequatur substantiam iam indiuiduam existentem 100 secundum ordinem nature. Et loquor de quantitate que inest rei facte de qua procedit predicta opinio.

[10] Item quantitatem esse principium indiuiduationis et signationis materie aut intelligitur per se et intrinsece ita quod quantitas sit de ratione indiuidui et materie signate, aut solum 105 concomitatiue, quia indiuiduatio et signatio substantie concomitatur signationem quantitatis, est tamen unum non de ratione alterius. Primo non potest dici, quia sub natura communi est dare aliquod suppositum uel indiuiduum per se, non enim potest dici quod omnia sint per accidens, cum *omne per accidens reducatur ad aliquod per se*. 110 Sed si quantitas esset intrinsece de ratione indiuidui, uel materie signate nullum suppositum esset per se, quia quodlibet includeret res diuersorum generum, ex quibus non potest fieri unum per se, quare etc. Sequeretur igitur quod suppositum in materialibus (ut Sortes) non esset ens per se, nec unum per se, nec in predicamento 115 substantie, sed in duobus (ut homo albus) nec ista esset per se Sortes
 π137ra est homo, sicut nec ista, homo albus est | homo, nec esset aliqua generatio per se, generationes enim sunt singularium et non uniuersalium, que omnia sunt inconuenientia.

[11] Si autem quantitas non sit de ratione indiuidui per se et 120 intrinsece, sed concomitatiue scilicet, quia non indiuiduaretur

110 omne ... se] *Auct. Ar.*, 2, 83 (147,44); cf. Thom., *In Phys.*, VIII, 2, n.973 (505b)

118 generationes ... 119 uniuersalium] cf. Thom., *In Metaph.*, I, 1, n.21 (9b)

substantia materialis nisi precedente indiuiduatione quantitatis, contra, quia aut illud intelligeretur de quantitate que manet in substantia, aut de ea que in generatione substantie precedit in
 125 subiecto quod transmutatur ad formam, non potest hoc intelligi de quantitate que manet in re facta, quia omni accidenti preintelligitur subiectum subsistens. Sed *quantitas accidens est* substantie, ergo preintelligitur ei substantia, subsistens, hec autem sunt indiuidua et singularia, quare et cetera.

130 [12] De quantitate autem que precedit in subiecto transmutationis existimant quidam quod sit principium indiuiduationis quia illud est principium indiuiduationis, per quod differt indiuiduum ab indiuiduo. Sed hoc est quantitas quoad fieri accidentaliter, sed non quoad esse, et intrinsece, ergo et cetera. Minor probatur, quia
 135 indiuiduum non differret ab indiuiduo in eadem specie, nisi contingeret ea plura esse. Ad hoc autem preexigitur quantitas, quia materia non posset suscipere diuersas formas eiusdem speciei, nec simul nec successiue nisi mediante quantitate secundum medium in transmutatione non secundum medium in esse subiectum forme.
 140 Nam sicut esse sub forma sanguinis dat sibi specialem potentiam ad formam specialem in transmutari, ita esse sub quantitate dat sibi generalem potentiam respectu plurium formarum recipiendarum simul uel successiue.

[13] Sed istud non uidetur, quia aliud est principium
 145 indiuiduationis et aliud est causa et principium quare materia potest

127 *quantitas ... substantie*] cf. Thom., *In Phys.*, I, 3, n.21 (14a)

131 *quidam*] cf. e.g. God. de Font., *Quodl.*, VII, 5 (325-327)

133 *fieri accidentaliter*] i. m.: *alias fieri antecedenter*

137 *nec ... 139 forme*] i. m.:

questione sequen<t>ium 10.

esse sub pluribus formis. Esto enim quod materia non posset esse nisi sub una forma nec simul, nec successiue, nihilominus adhuc esset dare indiuiduum in illa natura, non enim existeret uniuersaliter sed singulariter. Licet ergo quantitas precedens in subiecto quod transmutatur sit causa plurificationis indiuiduorum sub eadem specie 150 in his duntaxat que per agens naturale producuntur, quia in aliis forte non est uerum, non tamen propter hoc est principium indiuiduationis, quia accidit indiuiduo inquantum huiusmodi quod sub eadem natura sit aliud indiuiduum cum quo conueniat, uel a quo differat. Verum est igitur quod ubi contingit esse plura indiuidua sub 155 una specie per illud differt unum ab alio per quod constituitur in se ipso. Sed non conuertitur, ut omne illud sit de constitutione indiuidui, etiam accidentaliter et non intrinsece, quod requiritur ad hoc ut differat ab alio indiuiduo sub eadem specie, quia ad hoc preexigitur illud quod est causa multiplicationis sine quo tamen uere 160 maneret ratio indiuiduationis. Sic igitur deficit hec opinio in se, deficere etiam in suis rationibus patebit soluendo eas in fine.

[14] Dicendum ergo quod nihil est principium indiuiduationis nisi quod est principium nature et quidditatis. Quod apparet primo sic: Eorum que sunt idem inquantum huiusmodi sunt eadem 165 principia, sed natura uniuersalis et indiuidua seu singularis sunt idem secundum rem, differunt autem secundum rationem, quia quod dicit species indeterminate indiuiduum dicit determinate, que determinatio et indeterminatio sunt secundum esse et intelligi, uniuersale enim est unum solum secundum conceptum. Singulare 170 uero est unum secundum esse reale. Nam sicut actio intellectus facit

uniuersale, sic actio agentis naturalis terminatur ad singulare, ergo eadem principia secundum se, et differentia solum secundum rationem sunt quidditatis et indiuidui.

175 [15] Secundo quia illud quod conuertitur cum ente et de eisdem predicatur non dicit aliquid additum super ea de quibus dicitur. Sed esse indiuiduum conuertitur cum ente accepto secundum esse reale. Nihil enim existit in re extra nisi indiuiduum, uel singulare, ergo esse indiuiduum non conuenit alicui per aliquid sibi additum. Sed per
180 illud quod est. Per quid ergo est Sortes indiuiduum? Per illud per quod est existens, et hec sunt extrinsece finis, et agens cuius producere singulare, sicut et ipsum singulare est. Sicut enim actiones sunt singularium ita ad singularia terminantur. Intrinsece sunt hec materia, et hec forma. | Quod si queras per quid forma est hec? dico π137rb
185 quod per illud per quod est in re extra et hoc est extrinsece agens. Materia autem concomitatie in quantum forma pure materialis sine materia non existeret. Idem dico de materia nisi quod sua indiuiduatio plus dependet a forma quam e conuerso, quia forma magis est ratio essendi materie quam econuerso, substantie autem
190 separate nullo modo intrinsece indiuiduantur nisi seipsis. Et est hoc intelligendum quod si natura communis pluribus suppositis esset in eis una secundum rem quemadmodum in diuinis, oporteret tunc preter naturam communem et eius principia querere aliud quod esset principium constituendi suppositum quemadmodum in diuinis
195 relatio, eo quod in natura communi non differunt supposita. Sed nunc cum natura communis diuersis indiuiduis sit solum una

178 Nihil ... indiuiduum] cf. Thom., *S.c.g.*, I, 26 (27b)

180 Per² ... 184 forma¹] Rog. Marst., *Quodl.*, I, 3 (13,24-26); *Quodl.*, II, 30 (297,19-298,3)

182 actiones ... 183 singularium] cf. Arist., *Metaph.*, I, 1, 981a7

secundum rationem, et diuersa secundum rem, non oportet preter naturam et principia nature querere alia principia indiuidui: sed eadem (ut sunt existentia) sicut natura communis et indiuiduum solum differunt ut concepta et existens. 200

[16] Ex hoc apparet responsio ad rationes secunde opinionis. Quod enim primo dicitur quod indiuidua eiusdem speciei non differunt in quidditate, uel natura communi, uerum est ut accipitur secundum absolutam eius rationem. Sed in ea sic accepta conueniunt que tamen conuenientia est solum secundum rationem sicut et unitas 205 nature secundum speciem est solum unitas rationis. Sed in natura et quidditate accepta secundum realem existentiam differunt et in principiis nature consimiliter acceptis . Et hec sunt hec materia et hec forma. Et quod subditur quod forma non est hec nisi quia recipitur in materia signata. Materia autem non signatur nisi per quantitatem, 210 falsum est. Nam forma per seipsam intrinsece est hec, et non per hoc quod recipitur in materia, nisi concomitatiue, quia quod sit hoc non habet in materia nisi forte sit forma separabilis ut anima. Signatio autem materie qua dicitur hec non est per quantitatem, sed competit ei per aliquid sui generis sicut quod sit ens et unum. Signatio uero 215 qua dicitur tanta pura bicubita, uel tricubita bene competit materie per quantitatem. Sed hec signatio non facit eam indiuiduam, sed supponit.

[17] Ad secundum patet per idem.

[18] Et similiter ad primum principale. 220

[19] Ad aliud dicendum quod Plato errauit si intellexit formas separatas esse uniuersales predicatione, preter errorem qui est in

ponendo eas separatas esse a rebus. Et quantum ad hoc reprobat ab ARISTOTELE in pluribus locis.

<QVESTIO TERTIA

VTRVM POSSVNT ESSE PLVRES ANGELI SVB VNA SPECIE>

[1] Circa tertium uidelicet pluralitatem angelorum queruntur duo. Primum est, utrum possint esse plures angeli sub una specie. 5 Secundum est utrum angeli sint in aliquo magno numero. Ad primum sic proceditur. Et uidetur quod plures angeli non possunt esse sub una specie, quia differentia secundum formam est differentia secundum speciem, sed duo angeli cum non habeant materiam differunt necessario secundum formas suas, ergo necessario differunt 10 secundum speciem, sed ea que differunt secundum speciem, dicere esse sub eadem specie implicat contradictionem, ergo et cetera.

[2] Item Deus et natura nihil faciunt frustra (ut habetur I C e l i) sed si essent plures angeli in eadem specie essent frustra, ergo et cetera. Minor probatur, quia plurificatio indiuiduorum sub una 15 specie est propter conseruationem speciei. Sed in incorporalibus (quales sunt angeli) species potest semper in unico conseruari, ergo frustra essent indiuidua plura sub tali specie.

[3] In contrarium arguitur quia *de ratione speciei est quod predicetur de pluribus differentibus numero actu*, uel saltem *aptitudine*, cum

224 Aristotele] cf. e.g. Arist., *Metaph.*, VII, 14, 1039a25sq.; XIII, 10, 1086b14-1087a254
18 de ... 19 aptitudine] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 3, 2 (209aD); ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, I, 3 (56a); loh. Paris., *Super Sent.*, II, 3, 3 (67,185-188)

autem angeli sint in genere et specie, ergo in eis sunt uel esse possunt 20
 plures eiusdem speciei. Maior patet ex diffinitione speciei quam ponit
 PORPHYRIVS. Et propter aliud quia ad plura se extendit conceptus
 uniuersalis quam singularis. Sed hoc non esset nisi conceptus
 uniuersalis, esse plurium secundum actum, uel aptitudinem. Minor
 de se manifesta est, ergo et cetera. 25

[4] Item Deus potest annihilare aliquem angelum qui (ut aduersa
 π137va dicit) solus est in illa specie. Speciem autem illam | constat quod
 Deus potest reparare creando angelum aliquem sub ea sicut a
 principio fecit. Sed non uidetur necessario quod reparando speciem
 iterato recreet angelum nihilatum, nec forte est possibile, repararet 30
 ergo creando alium angelum, ergo saltem successiue possunt esse
 plures angeli sub una speciei. Et per eandem rationem ut uidetur,
 possunt esse plures simul. Cum non habeant inter se oppositionem
 impedimentem nec successionis necessarium ordinem.

[5] Responsio. Hic est unum preintelligendum, scilicet quando 35
 effectus dependet solum ex una causa tota possibilitas uel
 impossibilitas illius effectus dependet ex conditione et possibilitate
 cause. Entitas autem angelorum, et per consequens unitas et
 pluralitas immediate et solum dependet a causa prima. Et ideo tota
 possibilitas unitatis et pluralitas angelorum, in una specie arguenda 40
 est ex natura potentie diuine. Potentia autem diuina se extendit ad
 omne illud quod non implicat contradictionem (ut ostensum est in
 primo libro). Et ideo inquirendum est utrum angelos plures esse sub
 eadem specie implicet contradictionem.

22 Porphyrius] Porph., *Isag.*, 4,11-13

26 Item ... 31 angelum] cf. Duns Scot., *Ord.*, II, 3, 1, 7 (501,1-9)

42 ut ... 43 libro] cf. supra, I, 43, 1, 13 (112va)

45 [6] Et dicunt aliqui quod sic, per rationem, que tacta est in
 opponendo, scilicet quod differentia secundum formam, est differentia
 secundum speciem, quam alii sic confirmant, *licet differentiam*
secundum formam, quando non accipitur secundum absolutam
rationem forme, sed secundum quod hec forma non facit differentiam
 50 *specificam*, sed numeralem, sicut differunt due anime, et due
 quantitates separate: tamen differentia *secundum absolutam rationem*
forme facit differentiam specificam. *Illud enim a quo differt linea*
secundum absolutam rationem linee, oportet esse non lineam. Sed
 differentia formarum totaliter separatarum a materia ut sunt angeli
 55 solum potest esse secundum absolutam rationem forme, ergo et
 cetera. Probo minorem. *Omnis forma continens sub se multa, habet*
quandam latitudinem, que potest esse duplex, uel *secundum diuersos*
gradus formales, quorum unus secundum se est nobilior et perfectior
altero: et hec est latitudo generis, sub quo sunt diuersi gradus specifici et
 60 *formales*, sumpti secundum absolutam rationem forme. Alio modo
 sumitur hec latitudo *secundum plurificationem numeralem in eodem*
gradu. *Prima latitudo conuenit formis secundum suam rationem*
absolute acceptam. Sed *secunda non potest* hoc modo eis *conuenire*,
 faceret enim differentiam specificam. *Et ideo oportet quod forma* cui
 65 *conuenit hec latitudo includat uel importet aliquid* quod sit extra
 absolutam rationem forme, et illud est aliqua imperfectio et
 potentialitas. Sic enim plurificari uidetur esse imperfectionis, et
 potentialitatis. Nam *forma que est actus purus* (ut prima causa) *non*

45 aliqui] cf. supra, II, 3, 3, A3 (129,22-27)

47 licet ... 56 cetera] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 3, 2, 2 (210aC-D); cf. etiam ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, I, 3 (56a)

56 Omnis ... 80 speciem] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 3, 2, 2 (210aD-bC); cf. etiam ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, I, 3 (56a-b)

potest plurificari. In formis autem ut isti dicunt non potest esse nisi duplex imperfectio, una quantum ad gradus formales, secundum quod 70 una est in gradu formali inferiori, quam alia. Alia in quantum forma nata est habere rationem partis secundum rem, sicut forma substantialis uel accidentalis pars est compositi, uel sicut quantitas minor nata est esse pars quanti maioris. Et ista potentialitas per quam forma nata est esse 75 pars compositi dat anime et cuilibet forme substantiali et accidentali quandam latitudinem ut possit plurificari numero secundum eundem gradum. Etiam dato quod non informant actu subiectum et quia essentia angeli non est forma que sit uel esse possit pars alicuius compositi. Ideo in angelis non potest accipi differentia, nisi secundum 80 specificam rationem forme, que facit differre secundum speciem.

[7] Hec autem opinio fatetur quod differentia secundum formam, et non secundum absolutam rationem forme, sed secundum quod hec forma, facit differentiam numeralem, et non specificam, et istud est concedendum, quia uerum est. Omnis enim differentia est per formam siue per actum, per materiam enim, que est pura potentia, 85 res non possunt ab inuicem differre, nec separate a materia, cum (materiam non habeant) nec materiales. Cuius ratio est, quia differre supponit esse. Et proportionabiliter differre actu supponit esse actu, per materiam autem nihil habet esse actu, sed tantum per formam (quelibet enim res composita ex materia et forma per materiam 90 quidem habet, quod possit esse uel non esse, per solam autem formam habet quod sit actu). igitur nulla differentia est per materiam, sed solum per formam in habentibus formam et materiam.

π137vb In his autem quorum | unum habet materiam, et aliud est sine materia. Potest esse differentia penes materiam secundum 95 affirmationem et negationem, quia unum habet et aliud non habet.

Sed in habentibus materiam tenet quod dictum est. Concedamus ergo illud quod est uerum in predicta opinione, uidelicet quod differentia secundum absolutam rationem forme est specifica: 100 differentia autem forme a forma secundum quod hec et una siue singularis est numeralis solum.

[8] Quod autem additur, quod in substantiis separatis non potest esse differentia, nisi secundum absolutam rationem forme negandum est et cum probatur, quia latitudo forme per quam competit, quod 105 possit multiplicari secundum numerum est imperfectio et potentialitas forme per quam potest esse realis pars alicuius totius. Dicendum quod non est uerum. Si enim loquamur de partialitate, secundum quam forma substantialis uel accidentalis, est pars compositi ex materia et forma, uel ex subiecto et accidente. Et ex ea 110 assignetur causa plurificationis numeralis, ac per hoc negetur talis plurificatio in substantiis separatis, petitur principium, et nihil probatur. Idem enim est dicere quod sola forma, que est altera pars compositi plurificatur numeraliter, et quod substantia simplex per se subsistens non plurificetur numeraliter, uel unum includitur in 115 altero, et ideo assumere unum ad aliud concludendum sine probatione est petere principium. Et si dicatur quod talis plurificatio uenit ex imperfectione forme, uerum est, sed non ex illa quod pars est, sed ex alia communiore (ut postea dicetur). Si autem loquamur de partialitate, secundum quam minor quantitas potest esse pars 120 maioris quantitatis non potest ex ea reddi causa plurificationis numeralis.

[9] Ad cuius euidenciam est sciendum quod si natura speciei esset prius una secundum numerum, et postmodum diuideretur in plures secundum numerum, quemadmodum lignum diuiditur in plura

ligna quorum quodlibet est hoc lignum nullus dubitaret quantitatem 125
 esse principium huius plurificationis. Cum ratio quanti sit quod
 diuidatur *in ea que insunt* (ut dicitur *V M e t a p h y s i c e*) sed non
 sic diuiditur natura communis in indiuidua tanquam prius sit una
 secundum rem, sed solum secundum rationem, imo nec proprie
 diuiditur in plura indiuidua, sed potius unitas eius ex pluribus 130
 indiuiduis colligitur per actum intellectus, qui facit uniuersalitem
 in rebus: unde differt hec diuisio ab illa in tribus. Primum est, quia
 quantum est unum secundum rem, species autem solum secundum
 rationem. Secundum est, quod partes quanti diuisi, sunt per se partes
 integrales, et non subiectiue, nec recipiunt predicationem eius quod 135
 in ipsa diuiditur. Non enim partes ligni sunt illud lignum quod in
 ipsas diuiditur diuisione quantitatiua, et licet quelibet pars ligni
 dicatur lignum, tunc tamen non est predicatio totius quantitatiui de
 suis partibus, sed totius uniuersalis: indiuidua autem sunt partes
 subiectiue speciei, et nullo modo integrales. Tertium in quo differunt, 140
 est quia in diuisione quantitatiua ex reali unitate precedente
 consurgit multitudo, sed hic e contrario ex reali multitudine existente
 uel possibili in indiuiduis consurgit per actum intellectus unitas
 speciei. Vniuersale enim aut nihil est, aut posterius est illis
 singularibus, ut dicitur *I D e a n i m a*. Verum est quod postquam 145
 formatus est conceptus speciei, iterato diuidi potest in pluralitatem
 indiuiduorum, et sic unitas precedit pluralitatem. Sed simpliciter
 prima formatio unitatis speciei consequitur pluralitatem, ergo ex eo
 quod parue uel minores quantitates sunt, uel esse possunt partes
 maioris quantitatis, bene sequitur quod competit quantitati quod 150

126 ratio ... 127 Metaphysice] Arist., *Metaph.*, V, 13, 1020a6-7

144 Vniuersale ... 145 anima] Arist., *De an.*, I, 1, 402bb7-8: transl. uetus

possit diuidi in plures quantitates que sunt partes eius integrales, et de quibus non predicatur. Sed ex hoc non sequitur quod sit causa quare sub specie multiplicetur indiuidua, quia diuisio quantitatis in suas partes, et diuisiones speciei in indiuidua sunt diuersarum
 155 rationum, et quasi oppositarum. Et quamuis partes quantitatie diuerse sine indiuidua quantitatis absolute sumpte, quia quelibet pars quantitatis est quantitas. Tamen accidit eis quoad hoc quod fuerunt uel esse potuerunt partes alicuius totius integralis. Tum quia si essent due quantitates infinite, quarum una non posset esse pars alterius,
 160 nihilominus ipse essent indiuidua ipsius speciei. Tum quia partes alicuius totius heterogenei non propter hoc quod sunt partes, sunt indiuidua unius speciei. | Non enim quelibet pars equi est equus, ^{*π138ra*} sicut quelibet pars quantitatis est quantitas, quia hoc est heterogeneum, et illud homogeneum, quamuis utrobique sit pars et
 165 totum, ergo ex hoc quod aliqua forma potest esse pars integralis alterius, non potest reddi causa multiplicationis numeralis sub eadem specie, sed est totaliter extranea applicatio.

[10] Est autem alius modus qui tactus est in precedente questione, scilicet quod quantitas est causa plurificationis indiuiduorum sua
 170 specie in materialibus, non quod diuisio speciei in indiuidua sit diuisio quanti unius secundum rem in plura. Sed quia materia que est alia pars indiuidui in materialibus non posset plures formas recipere, nisi mediante quantitate non secundum medium in esse

168 precedente questione] cf. supra, II, 3, 2, At2 (125,140-154)

169 quantitas ... 174 fieri] cf. God. de Font., *Quodl.*, VII, 5 (326)

167 sed ... applicatio] i. m.: numero 12 et 13

subiectum forme, sed secundum medium in transmutari, uel fieri, ut expositum fuit precedente questione. 175

[11] Sed istud non ualet, primo quia per eandem rationem quantitas esset principium plurificationis secundum speciem, quia sicut due forme eiusdem rationis non reperiuntur in materia nisi per quantitatem diuisam, ita nec plures forme diuersarum rationum possunt recipi simul, nisi in materia eodem modo diuisa. Sed propter 180 hoc non ponitur quod quantitas sit causa pluralitatis secundum speciem, ergo nec propter hoc est ponendum quod sit causa pluralitatis secundum numerum.

[12] Item licet materia non possit recipere plures formas, nisi mediante quantitate secundum medium, in transmutari secundum 185 cursum nature. Alio tamen modo potest. Nam in prima rerum productione diuerse forme eiusdem speciei et etiam diuersarum, fuerunt producte in diuersis partibus materie, absque quantitate media in fieri uel in esse.

[13] Item si concederetur quicquid isti dicunt, nihil est ad 190 propositum. Si enim forma que recipitur in materia non potest plurificari secundum numerum, nisi mediante quantitate, nunquid propter hoc potest concludi quod substantie separate a materia non possunt plurificari secundum numerum, quia non habent quantitatem? non uidetur, imo contrarium, quia quantitas nihil facit 195 secundum eos ad plurificationem formarum etiam secundum numerum, nisi quia tales forme requirunt plures partes materie, in quibus recipiantur, que pluralitas partium materie est per quantitatem secundum medium in fieri, ergo ad unitatem uel pluralitatem formarum, que non recipiuntur in materia, nihil penitus 200 facit quantitas.

[14] Dicendum est ergo quod non repugnat nature angelice plurificari secundum numerum in eadem specie, quod patet ratione et auctoritate, et est talis ratio, omnis natura que producitur ab agente actione iterabili potest plurificari secundum numerum. Sed
 205 omnis creata natura est huiusmodi (etiam substantie separate) igitur et cetera. Maior patet, quia sicut agens una actione producit unum, ita agens pluribus actionibus producit plura, quia sicut actio est iterabilis, sic et terminus actionis. Minor probatur, quia omnis actio
 210 que potest uoluntarie interrumpi manente uirtute actiua, que est principium actionis potest iterari maxime si tota actio et productum per actionem dependeant ex sola uirtute producentis. In his enim tota potentialitas, unitas, et pluralitas actionis et producti est ex uirtute producentis. Et hec est causa quare non potest esse in diuinis,
 215 nisi unus filius, quia actio qua producitur, nec potest interrumpi, nec iterari. Sed actio qua Deus producit quascunque creaturas, maxime autem substantias separatas uoluntarie potest interrumpi in eis, etiam tota actio et productum dependent ex sola uirtute producentis, ergo talis actio potest iterari, et hec fuit minor, sequitur ergo conclusio,
 220 scilicet quod omnis creatura et maxime substantie separate possunt plurificari secundum numerum.

[15] Ad idem est auctoritas beati AVGVSTINI III De libero arbitrio ubi loquitur de peccato angelorum supposito quod omnes peccassent, dicit sic, nec *bonitas eius*, id est Dei, *quasi aliquo*
 225 *tedio*, nec *omnipotentia difficultate deficeret* in creando *alios*, *quos in eis sedibus collocat*, id est in eisdem gradibus gratie. Et per consequens nature, cum angeli receperunt gratuita secundum naturalia, *quas* aliis

peccando deseruissent, unde negare quod Deus non possit facere plures angelos sub una specie derogat potentie, cum ex parte rei producibilis non sit euidens contradictio, nec etiam probabilis, et propter hoc illa 230 opinio condemnata est Parisius pluribus uicibus, et de eius
 π138rb condemnatione sunt tres articuli, uidelicet | octogesimusprimus, in quo dicitur sic, quod quia intelligentie non habent materiam, Deus non posset plures eiusdem speciei facere (supple) Error est idem habetur articulo nonagesimosexto, ubi dicitur sic, quod Deus non potest 235 multiplicare indiuidua sub una specie sine materia, error est. Et similiter articulo centesimo nonagesimoprimum dicitur sic, quod forme non recipiant diuisionem, nisi secundum materiam. Est error, nisi intelligatur de formis eductis de potentia materie. Argumenta pro ista parte concedenda sunt. 240

[16] Ad primum argumentum in oppositum, cum dicitur quod omnis differentia secundum formam est differentia secundum speciem, dicendum quod est falsum, quia omnis differentia est secundum formam, sicut declaratum fuit prius. Sed differentia secundum absolutam rationem forme est specifica: differentia autem 245 forme a forma, non secundum absolutam rationem forme, sed secundum quod hec forma est numeralis, et hec differentia potest esse in omni natura creata, sicut ostensum est. Sola enim natura diuina, que nec est de se plures, nec est ab alio plurificabilis, quia non habet causam effectiuam est de se, et ex se una numero, nec potest 250 secundum numerum plurificari, unde qui posuerunt quod angeli seu substantie separate non sunt a Deo sicut a causa efficiente, sed solum sicut a causa finali (prout aliqui imponunt ARISTOTELI) dixerunt quod

231 de ... 232 articuli] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 81 (104), 96 (108) et 191 (138)

omnes substantie separate differunt secundum speciem, nec possunt
 255 plurificari sub specie, quemadmodum nec natura diuina. Sed ex quo
 ueritas fidei habet, et etiam ueritas prophetie, quod omnes substantie
 separate sunt a Deo, sicut a causa efficiente necesse est quod possunt
 plurificari secundum numerum sub eadem specie, quia dependent a
 Deo, sicut a causa efficiente eas actione uoluntaria et iterabili. Et hec
 260 est imperfectio propter quam conuenit eis quod possunt plurificari,
 et non solum illa imperfectio per quam forma potest esse pars alterius
 (ut ALII dicebant.)

[17] Ad secundum dicendum quod licet conseruatio speciei sit
 quedam causa propter quam plurificantur indiuidua sub specie, non
 265 tamen est tota causa, quia tunc non multiplicarentur ultra quam
 necesse est speciem conseruari, quod non est uerum: plurificatur ergo
 propter multas alias utilitates, quas Deus preordinauit prouenire ex
 eis, tam in corporalibus, quam in incorporalibus. Et ideo non sunt
 frustra.

<QUESTIO QVARTA

VTRVM ANGELI SVNT IN ALIQVO MAGNO NVMERO>

[1] Postea queritur, utrum angeli sint in aliquo magno numero,
 uidetur quod non, quia sicut est in corporalibus, ita in spiritualibus
 5 (ut uidetur) sed in corporalibus nobilissima corpora (ut celestia) sunt
 in minori numero quam alia, ergo similiter angeli qui sunt inter
 creaturas spirituales mobiliores sunt in minori numero quam anime
 rationales.

[2] Item res procedunt a Deo, sicut numeri ab unitate aliquo modo. Sed in numeris accedentibus ad unitatem minor est pluralitas, 10 ergo in rebus maxime accedentibus ad causam primam que est maxime una, debet esse minor pluralitas, talis est natura angelica, ergo et cetera.

[3] In contrarium est *quod dicit DIONYSIVS IV capitulo De angelica hierarchia quod numerus intelligentiarum excedi 15 omnem numerum substantiarum materialium*. Et Dan. capitulo 7 *milia milium ministrabant ei, et decies milies centena milia assistebant ei*.

[4] Resonsio. Intelligendum est quod sicut unum dicitur dupliciter sic et *numerus* qui non est aliud quam *multitudo ex unitatibus 20 aggregata*. Vnum autem dicitur dupliciter. Primo modo pro uno quod conuertitur cum ente: et pro uno quod reperitur in sola quantitate. Similiter est quidam numerus qui constituitur ex unitatibus que consequuntur ens generaliter, et alius qui constituitur ex unitatibus 25 quantitates quarum pluralitas est ex diuisione continui. Primus numerus reperitur in quocumque inuenitur natura entis plurificata, et ideo reperitur in angelis. Secundus reperitur solum in habentibus quantitatem mobilem quales non sunt angeli. Supposito hoc primo
 π138va remouendus | est error aliquorum circa materiam istam. Deinde
 determinanda est ueritas questionis. 30

14 quod ... 16 materialium] Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (241,6-7)

Dionysivs ... 16 materialium] ps.-Dionys., *De cael. hier.*, 14 (980c-d)

16 Dan ... 18 ei] *Dan.*, 7,10; ap. Thom., *S.th.*, I, 50, 3, sed contra; *Super Sent.*, II, 3, 1, 3, arg. 5 (92)

20 numerus ... 21 aggregata] ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, III, 1 (66b); cf. etiam Auic., *Metaph.*, III, 3 (114,31)

21 Vnum ... 28 angeli] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (241,12-242,23); cf. etiam ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, III, 1 (66b); Thom., *Super Sent.*, II, 3, 1, 3, ad 1 (94)

[5] Quantum ad primum sciendum quod ARISTOTELES et eius COMMENTATOR XI *Metaphysice* posuerunt numerum angelorum iuxta numerum orbium, uel motuum celestium, et ideo cum secundum unam opinionem sint 47 orbis uel motus orbium uel
 35 55 secundum aliam, dixerunt tot esse angelos et non plures, ratio huius opinionis fuit hec, intelligentia semper uidetur esse in optima dispositione (cum sit suprema natura creata in uniuerso) sed optima eius dispositio uidetur esse in mouendo, quia per hoc assimilatur maxime cause prime. Per motum enim est causa rerum sicut et causa
 40 prima, ergo omnis intelligentia semper causat aliquem motum propter quod numerus et distinctio earum sumitur secundum numerum et distinctionem motuum.

[6] Hec autem opinio habet falsum fundamentum. Scilicet quod optima dispositio intelligentie sit in mouendo, hoc enim non est
 45 uerum, quia quanto aliqua intelligentia plus recedit a causa prima tanto minus est perfecta. Et quanto plus accedit tanto est perfectior natura et operatione. Sed uidemus quod intelligentia maxime recedens a causa prima (ut anima rationalis) maxime unitur corpori (scilicet in ratione motoris et forme) superior autem et perfectior ut
 50 angelus minus unitur, quia non in ratione forme sed motoris. Solum ergo illa que est suprema minus unitur (scilicet nec in ratione motoris, nec in ratione forme) ergo non est ex optima et perfectissima dispositione intelligentie quod semper moueat. Et quod subditur quod intelligentia in mouendo maxime Deo assimilatur

31 Quantum ... 42 motuum] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (242,24-33)
 Aristoteles ... 33 celestium] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 3, 1, 3, sol. (93); *S.c.g.*, II, 92 (214b);
 cf. Arist., *Metaph.*, XII, 8, 1073a26-b1; 1074a10-14; Auerr., *Metaph.*, XII, 47 (332rC-D)
 44 hoc ... 53 moueat] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (243,43-51)
 54 intelligentia ... 60 cetera] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (243,52-58); cf. etiam Thom.,
S.c.g., II, 92 (215a)

falsum est, quia *potior est assimilatio*, que est intelligendo et *amando*, 55
 quam illa que est in mouendo. Perfectior est enim assimilatio que est
 secun<dum> potiorem perfectionem. Sed intelligere et amare sunt
 perfectiores operationes in Deo quam mouere: in intelligendo enim
 seipsum et amando consistit eius beatitudo, et non in mouendo, ergo
 et cetera. 60

[7] Quicquid autem sit de ueritate questionis duplex est modus
 dicendi. Primus est quod plures sunt angeli specie differentes quam
 sint species rerum materialium, quod declarant sic. *Ordo nature*
uidetur exigere quod illa que sunt *nobiliora* excedant *quantitate uel*
numero ignobiliora, unde uidemus quod *corpora celestia in tantum* 65
excedunt hec inferiora, *ut hec non habeant notabilem quantitatem ad*
illa. Sicut autem *corpora celestia digniora sunt ceteris corporalibus*, ita
substantie intellectuales digniores sunt omnibus corporibus. *Excedunt*
igitur corporales substantias non in quantitate (cum illa non habeant)
sed in numero. Sunt igitur plures species angelorum quam rerum 70
 materialium.

[8] Sed istud non ualet. Perfectiora enim non excedunt alia
 naturaliter nisi perfectione. Perfectio autem non est in numero.
 (Alioquin plures essent persone diuine quam create). Sed in
 quantitate non mollis solum sed uirtutis magis. Hic autem excessus 75
 uirtutis in substantiis separatis potest saluari in eis respectu
 inferiorum absque maiori numero, imo in unica substantia separata,
 ergo propter perfectionem substantiarum separatarum non oportet
 eas ponere in numero excedente substantias corporales. Sed sicut
 corpora celestia excedunt inferiora non numero sed magnitudine 80

62 Primus ... 71 materialium] Thom., *S.c.g.*, II, 92 (215b); cf. etiam *S.th.*, I, 50, 3, resp.;
Super Sent., II, 3, 1, 3, sol. (93); *De pot.*, 6, 6, resp. (175b)

molis, sic sufficit quod substantie separate excedant substantias corporales non numero, sed magnitudine uirtutis.

[9] Alii autem declarant eandem conclusionem aliter, et dicunt quod debemus imaginari totum ordinem *rerum in uniuerso, sicut*
 85 unam *lineam inter duo puncta (scilicet inter Deum et materiam primam)* intra que continentur omnia que sunt uel esse possunt, et omnia habent per se ordinem inter hec duo extrema, sicut species numerorum inter se. Imaginemur autem hanc lineam diuidi in puncto, qui est *anima* rationalis, a qua sit una linea, ascendendo ab
 90 ipsa ad Deum per naturas substantiarum intellectualium. Item ab ipsa usque ad materiam primam constituitur *alia linea, descendendo ab anima usque ad materiam* per naturas rerum *corporalium, nunc est ita, quod* ubi in *linea* est *maior distantia* inter duo puncta, ibi sunt plures *partes* linee, partes dico eiusdem quantitatis, ubi est minor
 95 distantia, ibi sunt pauciores partes. Sed inter animam intellectiuam et Deum est *maior distantia*, quam inter animam et *materiam*, quare in-
 | -ter Deum et animam sunt plures partes uniuersi quam inter π138vb
 animam et materiam primam. Sed inter Deum et animam sunt species angelorum, inter ipsam uero et materiam primam sunt species
 100 substantiarum corporalium, ergo plures sunt species angelorum, quam substantiarum corporalium, *et hoc* est quod *dicit DIONYSIVS quod celestes mentes incomparabiliter excedunt rerum mundanarum coarctatam multitudinem*, id est multitudinem secundum speciem, que dicitur coarctata, uel quia in una specie plura indiuidua quasi
 105 coarctantur et sunt unum, quemadmodum dicit PORPHYRIVS quod

83 Alii ... 101 corporalium] Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (243,65-244,91)

101 et ... 103 multitudinem¹] Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (244,92-93)

Dionysius ... 103 multitudinem¹] ps.-Dionys., *De cael. hier.*, 14 (981b-d)

105 Porphyrius ... 106 homo] Porph., *Isag.*, 12,13-22

participatione speciei plures homines sunt unus homo, uel quia species rerum materialium sunt inter duo extrema finita, et ita sunt quasi coarctata inter illa. Species autem angelorum non sic, sed sunt inter Deum et animam, inter que non est arctata distantia, sed infinita.

[10] Hec ratio autem nihil concludit, nisi supponatur quod omnes 110 gradus quibus Deus potest imitari a creatura spirituali sunt actu producti, quod poni non potest si sunt infiniti gradus imitabilitatis, sicut et illa linea imaginatur infinita. Talia autem infinita ponere in actu est impossibile (ut probatum est libro I distione 43 quaestione 2). Si uero dicatur quod non sunt infiniti gradus imitabilitatis, sed finiti, 115 tunc est omnino incertum an plures sunt gradus imitabilitatis in Deo respectu creaturarum spiritualium, quam respectu corporalium, an pauciores, quia non arguuntur esse plures, nisi propter maiorem distantiam inter animam et Deum, quam sit inter animam et materiam primam. Et illa nullo modo probatur maior, nisi quia 120 infinita, propter quod non sequitur quod sint plures gradus, nisi ponantur infiniti.

[11] Quicquid sit tamen de hoc, si solum ponantur species angelorum plures quam rerum materialium, et non ponantur plures angeli in eadem specie, non oportet dicere quod angeli sunt in 125 numero multum excessiuo, quia non sunt species rerum in tam excessiuo numero, sicut de angelis dicitur D a n . 7 (ut dictum est in argumento) et in I o b 25 *Nunquid est numerus militum eius?* Et propter hoc forte sunt omnes eiusdem speciei, uel saltem plures ex eis. Non enim uidetur omnino congrua ciuilitas differentium 130

106 uel ... 109 infinita] Aeg. Rom., *Report.*, II, 26 (244,94-95)

114 ut ... 2] cf. supra, I, 43, 2 (113ra-114rb)

127 Dan 7] cf. *Dan.*, 7,10

128 Iob ... eius] *Iob*, 25,3

secundum speciem. Pluralitas autem talis, que est differentium secundum numerum totaliter est ex beneplacito producentis, qui tot produxit, quot producere uoluit, cuius uoluntatem scriptura nobis exprimit in locis preallegatis.

135 [12] Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod nihil prohibet minorem esse numerum, quam animarum que fuerunt, que sunt et erunt: Creantur enim quotidie, nec ille que prius create fuerunt, desinunt esse corruptis corporibus. Omnes enim angeli simul creati fuerunt. Quod autem maior numerus angelorum
140 ponitur, quam corporum celestium causa est, quia corpora celestia solum habent ordinem ad inferiora secundum esse nature, et in ratione actiui, et ideo tot sunt, et non plura, quot sufficiunt ad agendum. Sed angeli preter ordinem quem habent ad corpora celestia in mouendo ea (quod pertinet ad cursum nature) habent etiam
145 ordinem alium quoad esse gratie. Sunt quidam ex eis *in ministerium* missi *propter eos qui hereditatem capiunt salutis*, ut dicitur H e b . I et secundum HIERONYMVM *unaqueque anima a sui exordio habet angelum ad sui custodiam deputatum*.

[13] Ad secundum dicendum quod in rebus maxime accedentibus
150 ad causam primam debet esse minor pluralitas quantum ad partes que ueniunt in compositionem rei, sicut in binario qui maxime accedit ad unitatem sunt pauciores unitates quam in quoquam alio numero. Sed nihil prohibet quin in eis sit maior pluralitas secundum speciem, uel secundum indiuidua eiusdem speciei, sunt enim plures
155 binarii, quam nouenarii. Et similiter possunt esse plures angeli

145 in ... 146 1] *Hebr.*, I, 14

147 Hieronymvm ... 148 deputatum] Lomb., *Sent.*, II, II, I, n.I (380,5-6); ex Hier., *In Matth.*, III, 18, 10 (159,570-572)

eiusdem speciei, uel diuersarum, quam sint species uel indiuidua aliarum rerum, sunt tamen tot et non plures, quot Deus producere uoluit secundum ordinem sue sapientie.

<QVESTIO QVINTA

VTRVM POTENTIA COGNITIVA ANGELI SINT ILLVD IDEM QVOD EST SVA

π139ra

ESSENTIA> |

[1] Circa cognitionem naturalem angelorum queruntur quatuor. Primum est, utrum potentia cognitiua sit id quod sua essentia. 5 Secundum est, utrum angeli cognoscant res per suam essentiam, uel species. Tertium est, utrum cognoscant singularia. Quartum, utrum intellectus angeli sit semper in actu. Ad primum sic proceditur et arguitur quod uirtus seu potentia intellectiua angeli differat realiter ab eius essentia, quia secundum diuersitatem actuum est diuersitas 10 potentiarum. Sed esse est actus essentie, intelligere est actus potentie intellectiue. In angelo autem intelligere non est suum esse, ergo nec intellectiua potentia est sua essentia.

[2] Item DIONYSIVS XI capitulo *Hierarchie angelice* dicit, quod angeli diuiduntur in substantiam, uirtutem et operationem. 15 Ergo in eis aliud est substantia, aliud est uirtus et aliud operatio.

[3] In contrarium arguitur, quia mens et intellectus nominant potentiam intellectiuam, sed DIONYSIVS et DAMASCENVS in pluribus

locis nominant angelos intellectus et mentes. Ergo angelus est sua
 20 potentia intellectiua.

[4] Responso. Nos pauca nouimus de angelis et eorum cognitione. Et illa pauca debemus coniecturare ex conditione anime nostre, que est de numero substantiarum intellectualium, quanuis in illo ordine infima. Et secundum hec de questione proposita uidetur esse
 25 dicendum quod potentia intellectiua angeli sit realiter idem quod sua essentia, quod potest persuaderi sic, quod enim potentie cognitiue anime nostre differant ab essentia potissime conuincitur ex duobus (ut patet ex dictis in primo libro): unum est, quod aliquae potentie anime sunt ad actus totaliter diuersos et separatos nullum ordinem
 30 inter se habentes, ut sunt audire, uidere et huiusmodi: propter quod oportet eos reducere in proxima principia realiter diuersa, et non in unum solum ut est essentia. Aliud est, quia essentia anime est actus corporis, aliquae autem potentie eius non sunt actus corporis ut intellectus et uoluntas: propter que oportet essentiam anime a
 35 predictis potentiis differre realiter. Neutrum tamen istorum est in angelis, quia in eis non est nisi unica cognitio (uidelicet intellectiua) que potest reduci ad unicum principium. Essentia etiam angeli non est actus corporis, sed est separata ab omni corpore, sicut et intellectus, propter quod ex nulla parte potest conuinci, quod
 40 potentia intellectiua angeli differat realiter ab eius essentia frustra autem ponuntur plura, ubi unum, sufficit, ideo et cetera.

[5] Ad primum argumentum dicendum est per interemptionem minoris, quia quanuis intelligere sit actus potentie intellectiue angeli realiter ab ipsa differens, quando intelligit alia a se, tamen esse non

est actus essentie realiter ab ipsa differens, imo sunt realiter unum et 45
idem utroque accepto secundum potentiam, uel secundum actum,
sicut ostensum fuit in primo libro, distinctione octaua.

[6] Ad secundum dicendum, quod in angelis est substantia, uirtus
et operatio, secundum DIONYSIVM sed non dicit quod omnia hec
differant realiter, nec oportet de substantia et uirtute. 50

<QVESTIO SEXTA

VTRVM ANGELI COGNOSCANT RES PER SVAM ESSENTIAM VEL PER SPECIES>

[1] Ad secundum sic proceditur. Et arguitur quod angeli intelligant
per species, et non per suam essentiam, quia cognitio angeli se 5
extendit ad omnia que sunt, sed essentia angeli cum sit limitata ad
certum genus et ad certam speciem non potest omnes res
representare, ergo angelus non intelligit per essentiam suam.

[2] Item si angelus intelligeret per suam essentiam, sequeretur
quod semper et actu cognosceret omnia, uidelicet se et alia. 10
Consequens est falsum, ergo et antecedens. Probatio consequentie,
quia si essentia angeli esset ei ratio representans alia, cum angelus
semper, et actu cognosceret omnia alia que per suam essentiam
representarentur ei, et sic patet consequentia.

15 [3] Item X propositione De causis dicitur, quod *om-* | *-nis* π139b
intelligentia plena est formis, sed illas formas uocamus species, ergo
 angeli intelligunt per species, non ergo per suam essentiam.

[4] Item DIONYSIVS dicit quod angeli illuminantur rationibus
 rerum, ergo cognoscunt res per rationes earum, et non per suam
 20 essentiam.

[5] In contrarium arguitur, quia non minoris perfectionis est
 intelligere, quam intelligibilia representare, sed essentia angeli
 quanuis sit finita, potest omnia intelligibilia intelligere, ergo potest ea
 representare, non obstante quod ipsa sit finita, sed propter aliud non
 25 negatur quod angelus non intelligat alia per suam essentiam, ergo et
 cetera

[6] Responsio. Hec prepositio, per, potest denotare uel principium
 intellectuum, sicut dicimus quod homo intelligit per intellectum, uel
 illud quod est subiecti representatum, sicut dicimus quod homo
 30 intelligit causam per effectum. primum tenet se ex parte intelligentis,
 et secundum ex parte intelligibilis. Primo modo questio soluta est in
 precedente articulo, ubi ostensum est quod intellectus angeli est sua
 substantia, et sic angelus intelligit quicquid intelligit per suam
 substantiam tanquam per principium intellectuum et ideo questio
 35 solum est dubia secundo modo, uidelicet utrum angelus intelligat
 omnia per suam essentiam, tanquam per representatum.

[7] Circa quod est aduertendum quod angelus cognoscit se et alia a
 se. Sed cognoscendo se, seu suam essentiam non indiget alio
 representatio, sed immediate cognoscit se per se, seu per suam

15 X... 16 formis] *Lib. de causis*, 9 (10), 92 (158,8); cf. Thom., *Super Sent.*, II, 3, 3, 1, sed
 contra I (113); *De uerit.*, 8, 8, sed contra I (246,79-84); Aeg. Rom., *Report.*, II, 40 (268,5)
 18 angeli ... 19 rerum] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 16 (149a-b)

essentiam. Cuius ratio est, quia per hoc fit intelligere in nobis, et in 40
 quibuscunque aliis, quod intelligibile est presens intellectui. Nihil
 autem est adeo presens intellectui angelico, sicut sua essentia, ergo
 angelus intelligit se per suam essentiam.

[8] Et si dicatur quod eodem modo concludit ratio de intellectu
 nostro quod intelligat se per suam essentiam. Quia est sibi ipsi 45
 presens. Dicendum quod non, quia obiectum primo proportionatum
 nostro intellectui est aliquid prius sensatum, quia intellectus noster
 est cum sensu, propter quod intellectus noster (licet sit sibi presens)
 non tamen in ratione primi intelligibilis ab eo, quia non est aliquid
 quod cadere possit sub sensu. Sed intellectus angelicus, qui a sensu 50
 non dependet, statim apprehendit omne intelligibile sibi presens.
 Essentia autem angeli secundum se est intelligibilis, ideo et cetera. Et
 in hoc consentiunt tam Theologi quam Philosophi.

[9] De aliis autem ab angelo qualiter intelligantur per ipsum. Est
 aduertendum quod si opinio AVICENNE esset uera uidelicet quod 55
 prima causa creauit intelligentiam sibi proximam et immediatam et
 hec aliam et sic usque ad infimam que creauit celum et mediante celo
 omnia inferiora et sic posset dici quod quilibet angelus cognoscit
 omnia per suam essentiam, sicut et causa prima, quia sicut causa
 prima ratione sue causalitatis representat sufficienter omnia (ut 60
 dictum fuit libro primo), sic quelibet intelligentia representat
 sufficienter omnia que sub ipsa essent, quia esset causa eorum et
 omnia quia essent supra ipsam que esset causata ab eis, et hanc uiam
 tenet AVTHOR De c a u s i s, qui dicit octaua propositione quod
omnis intelligentia scit id quod est sub se et illud quod est supra se, 65

60 ut ... 61 primo] cf. supra, I, 35, 1, §§ 12-14 (94rb)

65 omnis ... 67 eo] *Lib. de causis*, 7(8), 72 (152,6-9)

ueruntamen scit illud quod est sub se, quoniam est causa eius. Et scit quod est supra se, quia acquirit bonitates ab eo.

[10] Sed quia hec opinio non est consona ueritati, nec fidei: idcirco questio maiorem habet dubitationem. De qua quidam alii
 70 dicunt quod angelus intelligit alia a se per species, non quidem a rebus acceptas, sed concreatas, seu a Deo influxas, que representant intellectui angelico alias res tam spirituales quam corporales, et rationes istorum tacte sunt in arguendo ad questionem. Iste autem species originaliter introducte uidentur esse propter sensum uisus, et
 75 sensibilia illius sensus. Color enim uidetur facere speciem suam in medio et in organo sicut sensibiliter apparet in retractione, que est in speculo. Nisi enim istud fuisset forsitan nunquam fuisset facta mentio de speciebus requisitis ad cognitionem. Sed quia quidam credunt quod species coloris in oculo representat uisui colorem, cuius
 80 est species, ideo ponunt tam in intellectu nostro, | quam angelico *π139va* quasdam species ad representandum res, ut cognoscantur tam a nobis quam ab angelis.

[10] Hoc autem non reputo uerum esse, nec in sensu, nec in intellectu nostro, nec in angelico. Et quod non sit ponere speciem in
 85 sensu, puta in uisu ad representandum uisui colorem ut uideatur, patet sic, omne illud per quod tanquam per representatiuum potentia cognitiua fertur in alterum est primo cognitum. Sed species coloris in oculo non est primo cognita, seu uisa ab ipso, imo nullo modo est uisa ab eo, ergo per ipsam tanquam per representatiuum uisus, non
 90 fertur in aliquid aliud. Probatio maioris, quia quicquid se habet obiectiue ad potentiam cognitiuam, ut est cognitiua, est ab ea cognoscibile seu cognitum. Sed omne quod representat aliquid potentie cognitiue se habet ad eam obiectiue (supplet enim uicem rei

quam representat, que si secundum se presens esset, haberet se
 obiectiue ad potentiam cognitiuam). Ergo omne tale est cognoscibile 95
 uel cognitum. Et cum ducat in cognitionem alterius est prius eo
 cognitum tempore uel natura. Et hec fuit maior, minor de se
 manifesta est. Species enim coloris existens in oculo nullo modo
 uidetur, nec uideri potest ab ipso sicut quilibet experitur, ergo et
 cetera. 100

[11] Item talis species si duceret in cognitionem alterius hoc faceret
 ratione similitudinis. Vnde communiter uocatur similitudo rei, et sic
 haberet rationem imaginis, imago autem ducens in cognitionem illius
 cuius est imago est primo cognita quod non potest dici de tali specie,
 ergo et cetera. Et sine dubio de se uidetur absurdum quod potentia 105
 cognitiua ducatur in cognitionem alicuius per tale representatiuum,
 quod est sibi totaliter incognitum. Contrarium enim uerissimum est,
 uidelicet quod per notum ducitur in cognitionem ignoti. Et sic patet
 quod nulla species est in oculo ad representandum uisui colorem ut
 uideatur, quanuis enim color imprimat in medio, et in oculo suam 110
 speciem propter similem dispositionem diaphaneitatis que est in eis,
 illa tamen nihil facit ad uisionem, neque uisui representat colorem ut
 uideatur.

[12] Quod autem in intellectu nostro non sit ponere speciem
 talem patet per eandem rationem, quia oporteret quod esset ab 115
 intellectu primo cognita cuius oppositum experimur. Item si in
 intellectu esset talis species, aut esset respectu primi cogniti solum:
 aut respectu omnium, non respectu omnium, quia species in
 intellectu nostro si qua sit, potest abstrahi a phantasmatibus. Sed
 phantasmata non sunt omnium, sed solum rerum sensibilium, et 120
 quantum ad accidentia secundum que solum sunt sensibilia, ergo

respectu aliorum nulla est in intellectu nostro species. Item cognitio rei per speciem secundum ponentes speciem non est discursiua, sed multa cognoscuntur a nobis per discursum, talia ergo non
125 cognoscuntur per speciem.

[13] Si autem dicatur quod species requiratur in intellectu respectu primi cogniti. Contra, quia in potentiis ordinatis obiectum presentatur posteriori potentie per actum prioris, sicut appetitui representatur suum obiectum, uidelicet bonum per cognitionem
130 preuiam. Per hoc enim solum presentatur appetitui bonum quia est cognitum. Sed sensus et intellectus in nobis sunt potentie ordinate, ergo per solum actum prioris potentie (uidelicet sensus) presentatur sufficienter intellectui suum obiectum, neque oportet ponere aliquam speciem. Item intellectus cum sit uirtus reflexiua cognoscit se et ea
135 que sunt in eo per certitudinem, et quasi experimentaliter. Vnde experimur nos intelligere et habere in nobis principium quo intelligimus. Si ergo in intellectu nostro esset aliqua talis species, uidetur quod possimus per certitudinem cognoscere eam esse in nobis. Sicut cognoscimus per certitudinem alia que sunt in intellectu
140 nostro tam actus quam habitus, quod non est uerum. Non uidetur ergo quod in intellectu nostro sit aliqua species ad representandum sibi suum obiectum, nec in sensu ut prius probatum est, ergo et cetera.

[14] Est tamen aduertendum quod licet in nulla potentia sensituiua,
145 uel intellectiua sit species ad representandum ei suum obiectum. Tamen in spiritibus corporeis non sentientibus remanent quandoque species, seu impressiones sensibiles abeuntibus sensibilibus que dum nobis dormientibus, uel uigilantibus obiiciuntur organis interiorum sensuum apprehenduntur, et si in eis sistat cognitio, decipimur

π139vb existimantes rerum imagines esse ueras res exterior- | -res. Si uero 150
cognitio non sistat in eis, sed apprehendantur ut imagines aliarum
rerum non decipimur, sed sunt nobis principium memorandi.

[15] In ipsis autem organis sensuum interiorum si fiant species uel
huiusmodi impressiones nullo modo percipiuntur ab eis, nec alie res
per ipsas, quia non se habent ad potentias cognituiuas obiectiue, sicut 155
impressio quam aliquis uidet in oculo alieno non percipitur ab oculo
in quo est, nec mediante ipsa percipit ille oculus rem cuius est
species.

[17] De intellectu autem angelico de quo principaliter queritur
idem dicendum est, uidelicet quod in ipso non sunt aliquae species 160
per quas representantur ei res quas cognoscit. Quod patet sic, species
representans rem aliquam et res cuius est species sunt eiusdem
rationis specificice licet differant in modo essendi. Sed nulla species
existens in intellectu angeli cum sit accidens potest esse eiusdem
rationis specificice cum substantiis rerum tam spiritualium quam 165
corporalium quas angelus intelligit, ergo saltem angelus non intelligit
per species substantias spirituales uel corporales. Minor de se patet,
quia substantia et accidens non possunt esse eiusdem rationis
specificice cum differant genere.

[18] Sed maior probatur in sensibilibus que sunt nobis notiora et ex 170
quibus introducte sunt species ut dictum est. Et primo sic, sicut se
habet lux in corpore luminoso ad lumen causatum in medio, sic
uidetur se habere color in corpore terminato ad speciem causatum in
medio, quia sicut proprium subiectum lucis secundum suum
perfectum esse, est corpus densum (unde et stella lucens dicitur esse 175
densior pars sue sphere secundo celi). Sic proprium subiectum
coloris, qui in se continet aliquid de natura lucis secundum suum

perfectum esse, est perspicuum terminatum per opacum, subiectum
autem utriusque secundum esse imperfectum est perspicuum non
180 densum nec determinatum, propter quod sicut se habet lux ad
lumen, sic color ad speciem. Sed lux in corpore denso et lumen in
medio sunt eiusdem rationis specificae, licet differant in modo essendi,
secundum rationem perfecti, et imperfecti, propter diuersitatem
subiecti recipientis, ergo similiter color in corpore terminato et
185 species eius in medio sunt eiusdem rationis specificae, licet differant
secundum perfectum et imperfectum propter diuersitatem
subiectorum recipientium.

[19] Secundo probatur eadem maior sic, actio omnium aliorum
sensibilium in medio et organo est uniuoca, calor enim distans ad
190 hoc ut sentiatur, oportet quod calefaciat medium usque ad organum,
et ipsummet organum ut experimur, et idem est de sapore, et de
quocunque alio sensibili, ergo a simili uidetur quod actio coloris in
medium et organum sit uniuoca, quod non est nisi color, et sua
species essent unius rationis. Tertio quia species non ducit in
195 cognitionem alterius (ut uidetur) nisi ratione similitudinis, unde et
similitudo dicitur per quandam expressionem. Similitudo autem non
est differentium secundum speciem: ergo species que est medium quo
res cognoscitur, et dicitur similitudo rei non differt secundum
speciem a re quam immediate representat. Et sic probata est
200 sufficienter maior.

[20] Sequitur ergo conclusio principalis, scilicet, quod angelus non
intelligit substantias rerum spiritualium uel corporalium per aliquam
speciem, et per eandem rationem non intelligit accidentia rerum
corporalium per speciem, quia in angelo, qui est substantia mere
205 spiritualis, non potest esse aliquod accidens eiusdem rationis cum

accidentibus corporalibus. Contra rationes autem prius positas sunt alique instantie que ponentur in quarto libro, et ibidem soluentur.

[21] Per quid ergo intelligit angelus alia a se? Dicendum quod non per aliud representatiuum, quam per ipsammet presentiam rerum in se uel in suis causis uel utroque modo. Ad cuius euidenciam 210 sciendum est quod quanuis in nobis sit duplex cognitio (scilicet sensitua et intellectiua) tamen in angelo est sola intellectiua, per quam perfectius et efficacius cognoscit quicquid cognoscimus nos per sensum et intellectum quam cognoscamus nos. Sicut ergo sensibilia secundum se presentia sensui cognoscuntur per sensum, puta omnia 215 colorata et omnia lucentia, que secundum se presentialiter obiiciuntur uisui statim uidentur, quia unum est | uisuum et aliud uisibile, propter quod eis approximatis statim sequitur uisio a quocumque sit effectiue. Et similiter est de aliis sensibus. Sic tam res spirituales ut alii angeli quam corporales ut celum et astra et 220 huiusmodi, que secundum se sunt presentes intellectui alicuius angeli propter ordinem et gradum, quem angelus habet inter partes uniuersi statim intuitiue cognoscuntur ab angelo absque alio representatiuo. Et in hoc cognitio angelica continet modum et perfectionem nostre cognitionis sensitue, et plus, quia non se extendit solum ad 225 accidentia (ut sensus) sed etiam ad quidditates substantiarum. Sicut etiam presentato intellectui nostro aliquo obiecto per actum sensitue partis sit intellectio a quocumque illa sit effectiue, et ex illo cognitio intellectus noster alia intelligit propter habitudinem cause ad effectum, uel e contrario, et sic de aliis habitudinibus, sic angelus ex 230 his que intuitiue cognoscit per ipsarum rerum actualem presentiam, cognoscit alia propter habitudinem quam habent ad prima cognita, siue illa habitudo sit cause ad effectum siue alia, et in hoc assimilatur

nostre cognitioni intellectiue. Sed eam excedit in hoc quod intellectus
 235 noster cognoscit unum per aliud discurrendo de noto ad ignotum.

Intellectus uero angelicus, licet cognoscat unum per aliud, non tamen
 discurrendo de noto ad ignotum. Sed statim et simul tempore
 utrunque cognoscit, licet unum per aliud.

[22] Ad primum argumentum dicendum quod essentia angeli non
 240 representat ei omnes alias res ab angelo cognoscibiles, sed hoc non est
 propter limitationem angeli ad certum genus et ad certam speciem,
 sicut bene probat argumentum factum in oppositum. Sed hoc est
 quod ipsa non est causa aliorum sub se. Quemadmodum essentia
 diuina est causa omnium, sicut prius declaratum fuit lib. I, dist. 35 q. 1.

245 [23] Ad secundum dicendum quod concludit equaliter quod
 angelus non cognoscit alia a se per species, sicut concludit quod non
 cognoscat per essentiam suam, et utrunque concessum est. Quod
 autem ita sit patet, quia si sint species in angelo, per quas
 representarentur ei res intelligibiles, cum ille species sint semper ei
 250 presentes, uidetur quod semper intelligat omnes res, quarum habet
 species, sicut si representaretur ei per suam essentiam. Nec ualet si
 dicatur quod angelus potest uti una specie et non altera et quandoque
 nulla cum sit substantia uolens et libera, quia idem posset dici de
 essentia sua, quod non uteretur ea ad representandum res, nisi
 255 quando uellet, quorum neutrum est uerum, quia licet in potestate
 hominis uel angeli sit quandoque applicare, uel non applicare ea,
 quibus applicatis necessario sequitur actio (uerbi gratia). In potestate
 hominis uel angeli est applicare ignem stupe, tamen non est in
 potestate eorum, quin facta applicatione sequatur actio sic cum ad

244 sicut ... 1] cf. supra, I, 35, 1 (93va-94vb)

presentiam illius quod sufficienter representat obiectum potentie 260
 cognitiue sequatur necessario cognitio, non est in potestate angeli
 quod non cognoscat illud quod ei representatur, sicut non est in
 potestate hominis, quod representato obiecto in phantasmate
 intellectus non intelligat. Et ideo siue res intelligibiles represententur
 angelo per substantiam suam, uel per species idem sequitur: nos 265
 tamen dicimus quod per neutrum eorum eis representantur.###

[24] Ad tertium dicendum quod nunquam fuit intentio AVTHORIS
De causis, quod in angelo uel in intelligentia sint species, de
 quibus alii loquuntur, sed cum ipse fuerit Platonius posuit tales
 formas esse in intelligentiis quales ideas potuit PLATO, quas etiam 270
 quandoque uocauit formas. PLATO autem secundum ueritatem
 uocauit ideas cognitiones rerum, uel res ut cognitae, et non aliquas
 formas intellectui inherentes, uel per se subsistentes, sicut fabulose
 imposuit ei ARISTOTELES, et tales formas, hoc est rerum cognitiones
 dicit AVTHOR De causis esse in intelligentiis. 275

[25] Per idem patet ad quartum, quia secundum DIONYSIVM angeli
 illuminantur rationibus rerum et cognitionibus earum, quia ipsa
 cognitio est earum illuminatio.

[26] Argumentum in oppositum bene probat quod essentia angeli
 per hoc quod est limitata ad genus, et ad speciem non impeditur 280
 quin possit alias res representare, quia cum inter res diuersorum
 generum sit creata habitudo, una potest per aliam representari. unde
 et accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod
 quid est (ut dicitur I De anima) ueruntamen quod angelus
 π140rb cognoscit perfecte et di- | -stincte omnes res naturales, spirituales et 285

corporales ad talem distinctam et perfectam representationem non sufficit essentia angeli, quia non continet alias res distincte nec formaliter, nec uirtualiter cum non sit eorum causa, sicut essentia diuina est causa omnium.

<QVESTIO SEPTIMA

VTRVM ANGELVS COGNOSCAT SINGVLARIA>

[1] Ad tertium sic proceditur. Et arguitur quod angelus non cognoscat singularia, quia infinitum secundum quod infinitum sit ignotum, ut
5 dicitur III P h y s i c o r u m sed singularia sunt infinita saltem successiue, ergo sunt angelis ignota.

[2] Item angelus alia a se per eorum presentiam cognoscit (ut dictum fuit prius in precedente questione) sed aliqua singularia saltem futura non possunt esse presentia angelo, ergo non sunt ab eo
10 cognita.

[3] Ad idem est quod communiter allegatur ex dicto BOETII, quod singulare est dum sentitur, uniuersale dum intelligitur, sed in angelo non est cognitio sensitiua, ergo non cognoscit singularia.

[4] In contrarium est, quia *cognitio angelica perfectior est quam*
15 *nostra, sed nos cognoscimus singularia*, ergo inconueniens est dicere quod angeli non cognoscant ea.

14 cognitio ... 15 singularia] Thom., *Super Sent.*, II, 3, 3, 3, sed contra 2 (119); cf. etiam *De uerit.*, 8, 11, sed contra 4 (255,126-130); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 3, 2, 2, 4, sed contra 2 (253bA-B); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 3, 5 (T75vb; Vb47va); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 3, 4, 2 (40a)

[5] Item operationes sunt singularium, et circa singularia, sed angeli habent circa nos operationes et actiones custodie et administrationis secundum illud Psalm. angelis suis Deus mandauit de te et cetera. Et ad Hebr. I capit: *Omnes sunt* 20 *administratorii spiritus*, et *in ministerium* missi: et hoc non faciunt, nisi mediante cognitione, ergo cognoscunt singularia.

[6] Responsio. Duo sunt que uidentur facere difficultatem circa questionem istam. Primum est, quia uidetur aliquibus quod primum cognitum ab intellectu sit uniuersale, quod se habet per 25 indifferentiam ad plura singularia, propter quod dubium est qualiter cognito uniuersali cognoscatur determinate hoc singulare uel illud. Secundum est, quia singularium quedam sunt necessaria, et quedam contingentia et quedam presentia, et quedam futura, et futurorum quedam dependent ex causis pure naturalibus, quedam uero 30 dependent ex libero arbitrio, in toto uel in parte: de quorum omnium cognitione non uidetur quod possit eadem ratio assignari.

[7] Ad tollendum ergo hec duo dubia, aduertendum est quantum ad primum, quod primum cognitum ab intellectu non est uniuersale, sed singulare. Quod patet primo, quia primum obiectum, et omnis 35 per se conditio obiecti precedit actum potentie. Potentia enim per suum actum non facit suum obiectum, sed supponit, sicut uisus quoad actum uidendi presupponit colorem. Sed uniuersale uel conditio uniuersalis non precedit actum intelligendi, imo sit per

17 Item ... 22 singularia] cf. Thom., *S.th.*, I, 57, 2, sed contra; *Super Sent.*, II, 3, 3, 3, sed contra I (119); *De uerit.*, 8, 11, sed contra (255,111-114); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 3, 2, 2, 4, sed contra (253bA); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 3, 5 (Γ75va; Vb47va)

sed ... 19 Psalm] cf. *Ps.*, 91,11

20 Et ... 21 missi] Hebr. I, 14

40 actum intelligendi, eo modo quo potest sibi competere fieri, esse
 enim uniuersale non est aliud quam esse intellectum absque
 conditionibus singularitatis et indiuiduationis, ita quod esse
 uniuersale est sola denominatio obiecti ab actu sic intelligendi, sicut
dictum fuit prius libro I, distinctione 3 questione 5. Ergo uniuersale
 45 non est primum obiectum intellectus, nec uniuersalitas est eius
 conditio per se, et ita primum intellectum non est uniuersale.

[8] Si dicatur quod esse uniuersale non est esse sic intellectum, imo
 precedit omnem intellectionem, quia secundum COMMENTATOREM,
 intellectus agens facit uniuersalitem in rebus, et eius actio precedit
 50 intellectionem, saltem ordine nature. Non ualet, quia ut uisum fuit
 libro primo, fictitium est intellectum agentem ponere, et friuolum est
 dicere quod uniuersalitas fiat in rebus, quia uniuersalitas non potest
 esse in rebus, sed solum singularitas. Et si intellectus agens esset
 aliquid et aliquid ageret, illud semper esset unum numero et
 55 singulare et non uniuersale.

[9] Et si dicatur quod intellectus agens non facit uniuersale, nisi
 quia cum phantasmate causat speciem in intellectu, que representat
 rem in uniuersali: Non ualet, quia probatum est supra, quod nulla
 species est in intellectu, que representat ei suum obiectum. | *π140va*

60 [10] Item omne reale representatiuum, quod representat naturaliter
 aliud, representat ipsum secundum conditionem eius realem. Sed
 talis species si esset et aliquid representaret, representaret ipsum
 naturaliter, ergo representaret ipsum, quantum ad eius conditionem
 realem. Sed esse uniuersale non est conditio realis, sed rationis, ergo
 65 talis species non representaret uniuersale.

52 quod ... rebus] i. m.: [distinctione 3 questione 5
Thomas 1 questione 85 argumento 1 ad 4 uide Caiet.

56 nisi ... 57 intellectu] i. m.:

[11] Item in potentiis ordinatis, ubi terminatur actus prioris potentie, ibi incipit actus posterioris, sed sensus et intellectus in nobis sunt potentie ordinate: ergo ubi terminatur actio sensus tanquam prioris potentie, ibi incipit actio intellectus. Sed actus sensus terminatur ad singulare, ergo a singulari incipit actus intellectus. 70

[12] Item uniuersale est unum per abstractionem a multis et de multis, de quibus dicunt, et in hac abstractione singularia, a quibus sit abstractio, habent rationem quasi termini a quo, et uniuersale rationem termini ad quem. Sed terminus a quo, precedit terminum ad quem, ergo intellectus abstrahens prius intelligit singularia, quam 75 uniuersale. Et ad hanc intentionem dicit ARISTOTELES I De anima, quod animal uniuersale, aut nihil est, aut posterius est suis singularibus.

[13] Item si intellectus noster non intelligeret prima intellectione singulare hoc esset, aut quia non representaretur ei, aut quia non 80 posset, aut quia non uellet. Primum non potest dici, quia prima representatio que fit intellectui nostro fit per phantasma quod est representatiuum rei singularis, et sine ea intellectus nihil potest de nouo intelligere. Nec secundum, quia constat quod potentia intellectus nostri se extendit ad cognitionem singularium, alioquin de 85 eis non disputaremus, nec aliquid faceremus per liberum arbitrium. Cum factiones sint singularium, circa singularia. Nec tertium, quia uelle sequitur cognitionem. Si ergo intellectus uellet non intelligere singularia, uel nollet intelligere ea, sequeretur quod precognosceret ea, et sic sequeretur oppositum positi. Relinquitur ergo quod 90 intellectus noster prima intellectione intelligit singulare.

[14] Item patet specialiter secundum alios qui ponunt quod intellectus per se mouetur ab obiecto, quia illud per se et primo

intelligit quod per se et primo mouet intellectum ad intelligendum:

95 Mouet enim causando cognitionem sui prius et principalius quam alterius: Sed singulare primo et per se mouet et non uniuersale. Quia actiones sunt singularium, et non uniuersalium, ergo singulare primo et per se intelligitur, quod concedendum est quicquid senserit, uel dixerit ARISTOTELES per uerba obscura et inuoluta, que ponit III De

100 a n i m a.

[15] Item quicquid esset de intellectu nostro, tamen de intellectu angelico oporteret dicere quod directe et per se intelligat singularia, quia unica cognitio angeli, que est intellectiua, efficacior est quam nostra duplex cognitio, sensitua uidelicet et intellectiua, ut dictum
105 fuit prius. Sed constat quod nos primo et directe cognoscimus singularia per cognitione sensituiam, que est prima omnium cognitionum nostre intellectiue, ergo cognitio intellectiua angeli quatenus comprehendit perfectionem nostre cognitionis sensitue est per se et directe singularium. Et confirmatur, quia illud quod magis
110 habet de entitate, magis est cognoscibile, sed singularia plus habent de entitate quam uniuersalia, ergo magis sunt cognoscibilia. Sed ex parte uirtutis cognitiue ipsius angeli non potest esse defectus, cum ipsa sit perfecta, ergo angelus cognoscit prius et perfectius singulare quam uniuersale: et sic exclusum est primum dubium.

115 [16] Quantum ad secundum est sciendum quod singularia se habent in duplici differentia, quedam enim dependent, quantum ad suum esse et fieri solum ex causis naturalibus, quedam autem dependent uel quantum ad esse, uel quantum ad fieri ex libero arbitrio. Singularia autem que dependent solum ex causis naturalibus

101 Item ... nostro] i. m.: Thomas I questione 86 articulo 1
m.: questione precedente

104 ut ... 105 prius] i.

si sint presentia cognoscuntur infallibiliter ab angelo, nec est alia 120
 causa querenda, nisi quia sunt ei presentia. Sicut non est querenda
 causa quare uisus percipit colorem sibi presentem, et auditus sonum.
 Si uero sint preterita uel futura contingentia uel necessaria adhuc
 cognoscuntur infallibiliter ab angelo per hoc quod talia sunt presentia
 cognitioni angelice, non quidem in se sed in suis causis naturalibus, 125
 et angelus perfecte cognoscit totum ordinem causarum naturalium
π140vb uniuersi, | quod patet sic, *sicut a causa necessaria infallibiliter sequitur*
effectus, et in ea cognoscitur quid sit, et an sit, sic a *causa contingente*
 ei impedibili *si non* sit impedita infallibiliter sequitur effectus et in ea
 cognoscitur quid sit et an sit. Cum igitur angelus cognoscat perfecte 130
 omnes causas naturales necessarias et contingentes seu impedibiles, et
 omnem causarum habitudinem ac per hoc sciat que causa aliam
 impedit et non impedit, manifestum est quod per hoc cognoscit
 omnes effectus pure naturales necessarios et contingentes quid sint, et
 an sint, siue sint preteriri siue presentes uel futuri. Istud autem 135
 plenius deductum fuit libro I distinctione 38 questione 3 quoad
 cognitionem diuinam, et idem est de cognitione angelica quantum
 tangit ad propositum.

[17] De singularibus autem que uel quantum ad esse uel
 quantum ad fieri dependent a libero arbitrio est maior difficultas 140
 circa quam sunt duo consideranda. Vnum est quod talium
 singularium quedam sunt futura, quedam preterita, quedam
 presentia. Aliud est quod liberum arbitrium reperitur in Deo et in

127 sicut ... 129 effectus] Thom., *S.c.g.*, I, 67 (62b)

135 Istud ... 136 3] cf. supra, I, 38, 3, 9 (104rb); cf. etiam C. Schabel, R.L. Friedman, I. Balcayannopoulou, *Peter of Palude and the Parisian reaction* (253,97-116)

angelis et in nobis. Futura autem que ex solo libero arbitrio diuino
 145 dependent, non possunt ab angelis cognosci quid sint uel an sint
 nisi per reuelationem, de his enim sunt illuminationes ut patebit
 inferius, unde ministeria gratie (sicut incarnationem Christi et
 similia) non cognouerunt angeli a principio nisi quibus reuelatum
 est, et qui de hoc illuminati fuerunt. Et causa est quia rationes
 150 talium nullo modo existebant in causis naturalibus sed solum in
 mente diuina que sibi soli plenissime nota est, futura autem que
 dependent ex libero arbitrio angeli potest angelus cognoscere sicut
 et unusquisque suam affectionem cognoscit et ea que per
 affectionem seu uoluntatem uult producere: que autem dependent
 155 ex libero arbitrio alterius angeli uel nostro non potest angelus per
 certitudinem cognoscere nec in se cum nondum sint, nec in causis
 suis, hoc est in affectione alterius angeli uel nostra antequam iste
 affectiones sint in angelo uel in nobis per eandem rationem.

[18] Sed postquam in affectione alicuius angeli uel in nostra est
 160 actualiter uelle facere aliquid in futuro: Alius angelus potest hoc
 precognoscere in quantum potest cognoscere nostram affectionem
 uel alterius angeli, qualiter autem et quantum possit unus angelus
 cognoscere affectionem alterius angeli uel nostram **dicemus
 inferius distinctione VIII questione 5.**

165 [19] Que autem sunt iam preterita uel presentia per liberum
 arbitrium diuinum facta et sunt supernaturalia (ut incarnatio) non
 puto quod possint cognosci ab angelo quid sint uel an sint nisi per
 reuelationem. Et est eadem ratio que prius, quia rationes talium
 nullo modo sunt in causis naturalibus, unde nec Christus agnitus

est a Demonibus nisi per reuelationem, uel per aliquam 170
 coniecturam ex miraculis et operibus eius sumptam, quanuis enim
 cognoscerent humanitatem Christi, tamen quod ei esset unita
 diuinitas nesciuerunt per certitudinem. Que autem non sunt
 supernaturalia sed infra naturam (ut opera nostra) uel angelica
 cognoscuntur ab angelo per certitudinem ex eorum actuali 175
 presentia. Cum enim talia sint a nobis cognoscibilia per sensum et
 intellectum, multo fortius possunt cognosci per angelum cuius
 cognitio unica existens perfectior est omni cognitione nostra tam
 sensitua quam intellectiua.

[20] Ex his patet qualiter sit intelligendum uerbum ISIDORI 180
 quod ponitur infra distinctione VII scilicet quod *Demonēs* (et idem
 est de omnibus angelis) *uigent triplici acumine scientie, subtilitate
 nature, experientia temporum, reuelatione supernorum spirituum.*
 Subtilitate quidem etenim nature cognoscunt effectus in suis causis
 et causas in effectibus. Experientia uero temporum cognoscunt 185
 effectus presentes qui in suis causis nullam prehabent
 determinationem ut sunt effectus nostri liberi arbitrii. Per
 reuelationem autem cognoscunt effectus supernaturales.

[21] Ad primum argumentum dicendum quod quodlibet singulare
 est secundum se finitum quamuis successio singularium possit 190
 producere in infinitum accipiendo unum post aliud, et ideo
 quodlibet singulare potest esse notum angelo. Et omnia singularia
 simul sumpta quia illa sunt finita. Sed ipsa successio singularium ut
 potens producere in infinitum non est nota angelo, nisi sicut

180 uerbum ... 183 spirituum] Lomb., *Sent.*, II, 7, 5 (361,26-362,2); ex Isidor., *Sent.*, I, 10, 17 (35,115-117)

184 Subtilitate ... 188 supernaturales] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 7, 2, 1, sol. (187); *De malo*, 16, 7, ad 10 (317,351-360)

195 infinitum successiue potest ei uel nobis esse notum, uidelicet, quid
 illud quod acceptum est | uere cognitum, quia illud est finitum et *π141ra*
 determinatum, sed illud quod restat accipiendum est
 indeterminatum, quia quodcunque dato adhuc possibile est dari
 aliud, et ideo indeterminate cognoscitur, et solum in generali, scilicet
 200 quod possibile est plus accipi. Et quia secundum hoc attenditur
 infinitas ideo infinitum secundum quod infinitum dicitur ignotum.

[22] Ad secundum dicendum quod singularia futura quanuis non
 sint secundum se presentia angelo, sunt tamen ei presentia ratione
 causarum suarum naturalium in quibus preexistunt, et sic possunt ab
 205 angelo precognosci.

[23] Ad tertium dicendum quod intentio BOETHII non fuit quod
 intellectus non possit cognoscere singularia, sicut et sensus, sed quod
 uniuersale non cognoscitur, nisi per solum intellectum.

<QVESTIO OCTAVA

VTRVM INTELLECTVS ANGELICVS SIT QVANDOQVE IN POTENTIA>

[1] Ad quartum sic proceditur. Et uidetur quod intellectus angelicus sit
 quandoque in potentia, quia contingit scire multa, intelligere uero
 5 unum solum II T o p i c o r u m igitur angelus non simul omnia
 intelligit, ergo intelligendo unumquodque est simul in potentia ad
 intelligendum alia.

3 Et...6 intelligit] cf. Thom., *S.th.*, I, 58, 2, arg. 1; *De uerit.*, 8, 14, sed contra 1 (264,112-114); cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 3, 2, 2, 3, sed contra 1 (250aB)

4 contingit... 5 Topicorum] cf. *Auct. Ar.*, 36, 34 (324,35); ex Arist., *Topic.*, II, 10, 114b34-35

[2] Item intellectus qui non est quandoque in potentia, sed semper in actu est actus purus, sed nullus actus est talis, nisi diuinus, quare et cetera.

10

[3] Contra. In omni natura intellectiua, que quandoque est in potentia quandoque in actu est inuenire intellectum agentem et possibilem, sed in angelo non distinguimus hos duos intellectus, quare et cetera.

[4] Responsio. Hec questio, et illa qua queritur, an angelus simul 15 omnia intelligat, que subsunt sue naturali cognitioni uidentur mutuo se includere, et quasi una questio esse. Et ideo notandum soluendo utranque questionem, quod cum potentia dicatur in habitudine ad actum et *actus* sit *duplex scilicet primus et secundus*: est etiam duplex 20 potentia, scilicet ad actum primum, et ad actum secundum. Actus primus ut quidam dicunt, est forma intelligibilis uel species. Actus secundus est considerare. Ad actum primum *intellectus angeli nunquam est in potentia*, quia illum gradum tenet angeli in spiritualibus substantiis quem tenent corpora celestia in corporalibus. *Corpora* autem celestia *non sunt in potentia ad formam, que non sit* 25 *completa per actum*, ergo nec potentia intellectiua angeli est, *que non sit totaliter completa per formas intelligibiles*. Ad actum autem secundum, qui est considerare, est in eis potentia separata ab actu, *non enim semper actu cogitant omnia*, quorum species habent. Sed

8 intellectus ... 9 purus] cf. Arist., *De an.*, III, 5, 430a22; Thom., *Sent. De an.*, III, 4 (222,192-197) cum adnot.; *Auct. Ar.*, I, 255 (136,47-48)

18 cum ... 20 secundum] cf. Thom., *De pot.*, I, I, resp. (9a)

19 actus ... secundus] *Auct. Ar.*, 6, 39 (177,54)

20 Actus ... 22 considerare] cf. Thom., *De malo*, I, 5, resp. (24,181-184); *De pot.*, I, I, resp. (8b-9a)

22 Ad ... 29 habent] Thom., *S.th.*, I, 58, I, resp.; cf. etiam Thom., *De pot.*, 5, 8, resp. (151b-152a)

30 potest angelus, cum sit substantia uolens et libera, uti una specie et non altera ad intelligendum unum et non aliud.

[5] Hec autem opinio ponit quod angelus intelligat per species, quod prius improbatum est. Et adhuc improbari potest communi ratione, que talis est. Sicut *corpus non potest simul figurari diuersis*
 35 *figuris*, sic ut uidetur *nec intellectus noster uel angelicus potest simul* informari *diuersis speciebus*. Nec ualet si quis dicat quod non sunt ibi in actu simpliciter, nec simpliciter in potentia sed medio modo, scilicet in habitu quo modo nihil prohibet plures species esse in eodem, quia quantum ad actum informandi omnes species sunt
 40 simpliciter in actu siue intellectus consideret actu siue non.

[6] Dicendum est ergo quod angelus sicut dictum est intelligit se et alia a se. Respectu autem sui semper est in actu secundo, quia unumquodque per hoc intelligitur quia presens est intellectui, angelus autem semper sibi ipsi presens est, quare et cetera. Et idem
 45 est de omnibus incorruptibilibus, quia semper sunt ei potentia. Respectu autem futurorum que dependent ex solis causis naturalibus angelus semper est in actu secundo, quia et si talia non sint presentia nature angelice secundum esse proprie existente, tamen ei presentia sunt secundum esse quod habent in causis suis. Que autem
 50 dependent ex libero arbitrio nostro uel angeli, dum futura sunt, non sunt actu cognita ab angelo nisi forte per aliquam coniecturam. Dum autem sunt actu, cognoscuntur ab angelo: que autem sunt

34 Sicut ... 36 speciebus] Thom., *De uerit.*, 8, 14, sed contra 3 (264,121-127); cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 3, 2, 2, 2, resp. (251aC)

36 Nec ... 40 non] cf. Thom., *De uerit.*, 8, 14, resp. (265,179-197)

33 quod ... est] i. m.: questione 6 huius 36 Nec ualet] i. m.: **Vide Cai. 1 questione 85 articulo 4**

π141rb supernaturalia, et ex sola uoluntate | Dei dependent, nec futura, nec presentia cognoscuntur ab angelo, nisi per reuelationem, et horum omnium reddite rationes sunt in precedente questione. 55

[7] Emergit autem hic una dubitatio: sicut enim unitas motus requirit unitatem termini, sic unitas operationis requirit unitatem obiecti, ergo non uidetur possibile quod angelus uno actu et simul intelligere plura possit quod est contra ea que dicta sunt. Et dicendum quod cum intelligere fiat in nobis per hoc quod 60 intelligibile sit presens intellectui, et similiter in angelo, quam presentiam facit non situs, sed ordo sicut dictum fuit prius, omnia illa habent rationem unius intelligibilis, et uno actu intelligi possunt ab angelo, que sub uno ordine ei presentari possunt. Omnia autem que cognoscit angelus naturaliter ea sub uno ordine, et in ordine ad 65 unum presentantur eidem, uidelicet in ordinem ad essentiam suam, que talem gradum tenet in entibus, quod alia tam superiora quam inferiora sunt ei presentia, uel in se, uel in causis suis: Et ideo possunt simul et unico actu ab angelo cognosci.

[8] Per hoc patet ergo ad primum. Sunt enim unum intelligibile, 70 que sub uno ordine continentur, et que habent ordinem ad unum, qualia sunt omnia naturaliter intellecta ab angelo.

[9] Ad secundum dicendum quod nullus intellectus nisi diuinus est, quin sit quandoque in potentia ad intelligendum aliqua (ea scilicet) que dependent ex libero arbitrio et que sciuntur per 75 reuelationem.

62 sicut ... prius] cf. supra, II, 3, 5, A41 (169,642-648)

64 que ... possunt] i. m.: Confer hec cum iis que dixit in primo distinctione 87 questione 1

<DISTINCTIO QVARTA>

[1] *Post hoc uidendum est*, et cetera. Superius ostendit MAGISTER, quales creati sunt angeli quantum ad bona gratuita. Hic ostendit quales creati sunt quantum ad dona perfecta. Et diuiditur in tres
5 partes. Primo mouet questionem. Secundo soluit. Tertio recapitulat determinata. Secunda incipit ibi: Ad hoc autem quod. Tertia: quales fuerunt angeli. Secunda istarum diuiditur in duas, secundum duas questiones quas soluit. Secunda ibi: dicitur namque perfectum. Prima principalis diuiditur in tres. Primo soluit questionem quantum ad
10 malos. Secundo quantum ad beatos opponendo et ueritatem determinando. Tertio concludit quantum ad utrosque. Secunda: boni uero qui perstiterunt. Tertia: Ex predictis consequitur. Hec est diuisio in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER: Et proponit primo querendo
15 an angeli sint creati beati an miseri, perfecti an imperfecti. Deinde respondet ad primum, dicens quod angeli non fuerunt creati mali uel miseri, quia non statim peccauerunt. Miseria autem peccatum consequitur, et qui peccauerunt, et qui ceciderunt, non fuerunt creati beati, quia certitudine euentus sui non habuerunt. Postea respondet
20 quantum ad bonus opponens per AVGVSTINVM, quod boni suum statum presciuerunt, mali uero non. Set MAGISTER dicit quod AVGVSTINVS loquitur inquirendo, non asserendo. Ante peccatum

enim nulla fuit discretio malorum angelorum a bonis, et ideo utrique erant sui status incerti. Postea respondet quod illi qui corruerunt, nunquam boni fuerunt, nisi perfectione naturali. Illi uero qui 25 perstiterunt aut beati fuerunt in spe, quia aliquo modo beatitudinem presciuerunt, aut incerti sui euentus, et tunc aliter quam alii erant beati, et hoc probabilius uidetur. Deinde respondet ad secundam questionem, dicens quod triplex est perfectio, quedam secundum tempus, quedam secundum naturam, quedam uniuersaliter, primam 30 habuerunt in creatione, secundam in confirmatione, tertiam uero solius Dei est. Ideo quoad aliquid fuerunt perfecti, quoad aliquid imperfecti. Vltimo recapitulando concludit ea que dicta sunt.

<QUESTIO PRIMA

VTRVM ANGELI FVERVNT CREATI BEATI AN MISERI>

[1] In hac distinctione agitur de statu in quo fuerunt creati angeli, circa quam queruntur tria. Primum est, utrum creati fuerint beati an miseri. Et uidetur quod fuerunt creati beati, quia *essentia beatitudinis* 5
 π141va *in Dei uisione consistit, I o a n . 17. Hec est uita eterna, ut cognoscamus te, et cetera. Set angeli in principio sue creationis uiderunt Deum, alioquin non habuissent cognitionem matutinam, que est cognitio rerum in uerbo, cuius contrarium ponit AVGVSTINVS Super Genesi ad litteram, igitur et cetera.* 10

5 *essentia ... 10 cetera*] Thom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1, arg. 2 (132)

6 *Ioan ... 7 te*] *Iob.*, 17,3

9 *Avgvstinvs ... 10 litteram*] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, IV, 34 (133,20-134,12); V, 18 (161,10-13)

[2] Item cognoscere Deum per essentiam et absque ullo medio est solum beatorum, set angeli ex solis naturalibus cognoscunt Deum absque ullo medio, quia absque specie uel quocunque alio, ut deductum fuit in precedente distinctione questione 6 quare et cetera.

15 [3] Contra. angeli non potuerunt creari miseri (ut infra probabitur) ergo nec beati.

[4] Responso. Beatitudo tam hominis quam angeli consistit in operatione intellectus et uoluntatis circa supremum obiectum scilicet Deum. Et hoc tam secundum Theologos, quam secundum
20 Philosophos. Hec autem est duplex: una ad quam possunt ex naturalibus attingere. Alia quam non sequuntur, nisi ex dono superioris nature. Si loquamur de prima, dicendum quod in ea uel cum ea creati sunt angeli. Cuius ratio est, quia ut sepe dictum est, per hoc fit intellectus in actu secundo, quod sit ei presens intelligibile, set
25 intellectui angelico semper est presens supremum intelligibile, quod est Deus, quare et cetera. Assumptum probatur, quia presentiam intelligibilis intellectui angelico facit ordo unius ad alterum (ut deductum fuit) semper autem extat ordo Dei ad alterum, et e contrario quandiu angelus est, quare et cetera.

30 [5] Si autem loquamur de secunda beatitudine, illa consistit in duobus, scilicet in adeptione omnis boni, per manifestam fruitionem

15 Contra ... 16 beati] cf. T hom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1, sed contra 2 (133) ut ... probabitur] cf. infra, uu. 87sqq.

17 Beatitudo ... 20 Philosophos] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1, sol. (133)

20 Hec ... 22 nature] cf. Thom., *S.th.*, I, 62, 1, resp.; cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 4, 3 (75,2-4)

22 Si ... 23 angeli] Thom., *S.th.*, I, 62, 1, resp.; Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 4, 3 (75,5-6)

23 ut ... est²] cf. supra, II, 3, 5, A41 (169,638-645)

27 ut ... 28 fuit] cf. supra, II, 3, 5, A41 (169,645-648)

(sicut dictum fuit Moysi, *ostendam tibi omne bonum*) et in carentia omnis mali.

[6] Quantum ad primum, non fuerunt angeli creati in beatitudine, quia quicumque sic *beatus* est, habet *quicquid uult* sicut dicit 35 AVGVSTINVS. Sicut enim est sic beato presens diuina essentia, in qua est omnis ratio ueri quantum ad cognitionem, sic ipsa eadem (in qua est omnis ratio boni) est ei presens quoad dilectionem. Set constat quod angeli in principio sue creationis non habuerunt quicquid uoluerunt, aliquid enim appetit angelus, qui non factus est malus, 40 quod tunc non habuit, quare et cetera.

[7] Quantum ad carentiam omnis mali culpe et pene creati sunt in beatitudine. Et de carentia mali culpe ostendetur inferius. De carentia autem mali pene patet, quia omnis pena uel est per subtractionem alicuius perfectionis debite uel habite, quoad penam 45 damni, uel per immissionem alicuius dispositionis contrarie quoad penam sensus. Angelis autem in sua creatione nihil subtractum est quod ab eis esset habitum, quia antequam crearentur nihil habere poterant, nec aliquid quod eis esset debitum, quia si ponerentur angeli in solis naturalibus creati, adhuc nihil est eis subtractum quod 50 esset eis debitum, quia nature nihil debetur preter naturalia. Si uero ponantur in gratia creati multo melius habemus suppositum, quia eis conueniens est additum, et nihil debitum subtractum.

[8] Item nec in eis fuit malum pene per immissionem alicuius dispositionis contrarie, quia sublimioris nature est natura angelica 55

32 dictum ... bonum] *Exod.*, 33,19

35 quicumque ... 36 Avgvstinvs] Aug., *De Trin.*, XIII, 7, 10 (396,63-64)

42 Quantum ... 43 beatitudine] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1, resp. (132a)

43 Et ... inferius] cf. infra, II, 5, 1 (205sqq.)

quam celum, set celum non est secundum naturam susceptiuam peregrine impressionis (ut dicitur *I M e t h e o r o r u m*). Ergo multo minus natura angelica. Loquor secundum naturam, quia forte aliud est secundum diuinam iustitiam, ubi ponunt aliqui in Demonibus et
60 animabus damnatorum quod patiantur non solum per detentionem, set per immissionem, et cetera, de quo inquiretur.

[9] Ad primum argumentum dicendum quod angeli in principio sue creationis Deum non uiderunt uisione beata. Et quod opponitur de cognitione matutina, que est rerum in uerbo. Notandum quod
65 hec nomina, matutinum et uespertinum, inuenta sunt ab AVGVSTINO *Super Genesi ad litteram*, qui cum posuisset quod opera sex dierum simul facta fuissent (iuxta illud *Ecclesiast. 18: Qui uiuit in eternum creauit omnia simul*) necessario habuit exponere quomodo intelligantur illi sex dies, in quibus secundum litteram
70 uidetur quod res per quandam successionem fuerunt create, ubi exponit sex dies per cognitionem angelicam sex rerum generibus presentatam. Et sicut inusitato die est mane et uespere, sic ponit ipse circa cognitionem angeli, mane et uespere, id est cognitionem matutinam et uespertinam. Non uocat autem uespertinam
75 cogitationem, cognitionem rerum in proprio genere, et matutinam *π141vb* cognitionem earum in uerbo gloriosam, ut exponunt quidam, iuxta

56 celum¹ ... 57 Meteororum] *Auct. Ar.*, 5, 5 (171,29-31); Arist., *Meteor.*, I, 3, 341a17-23 et 35-36

59 aliqui] cf. Alb., *Super Sent.*, IV, 44, F, 37, sol. (593a); *De resurr.*, II, 10, 5, sol. (295,22-32); Ioh. Pecham, *Quodl.*, III, 8 (150,53-55); *Quaest. disp. de beat. an et corp.*, I, resp. (467,24-25); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 9 (592a-b); Bonau., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 2, resp. (934a-b); Henr. de Gand., *Quodl.*, VIII, 34 (339rV)

61 de ... inquiretur] cf. infra, IV, 44, II, resp. (403v-404r)

65 Avgvstino ... 66 litteram] Aug., *De Gen. ad litt.*, IV, 34 (133,20-134,12)

67 illud ... 68 simul] *Eccl.*, 18,1

76 quidam] cf. Thom., *S.th.*, I, 62, 1, arg. 3

quam expositionem procedit argumentum, quia si cognitio angelorum matutina esset gloriosa, omnes pro certo fuissent beati, cum omnibus indita fuerit cognitio rerum sex diebus productarum, etiam antequam producerentur ordine nature, in quorum quolibet 80 die distinguitur mane et uespere: set uocatur cognitio uespertina, ut ibi expresse dicit cognitio quam habet angelus de se, aut de alia re, quod sit aliud a creatore. Cum autem hanc cognitionem refert ad laudem creatoris, qui lux est, ut ulterius rei fiende cognitionem accipiat, dicitur matutina, mane enim crescit procedendo uersus 85 lucem. Et hec matutina cognitio non arguit angelos fuisse beatos.

[10] Ad secundum dicendum quod licet angelus non sit causa rerum que sub ipso sunt, propter quod ex cognitione sue essentie non potest eas cognoscere, sicut cognoscitur effectus per causam, set solum modo in precedentibus exposito, tamen angelus creatus est a 90 Deo, et sic per cognitionem essentie sue tanquam per effectum cognoscit Deum, et hec cognitio est naturalis, nec extendit se ad perfectionem cognitionis beate, per quam cognoscitur Deus sine medio cognito, et quantum ad distinctionem personarum, que non potest per causalitatem sciri. 95

<QVESTIO SECVNDA

VTRVM OMNES ANGELI CREATI FVERINT IN GRATIA>

[1] Secundo queritur, utrum omnes angeli fuerint creati in gratia. Et uidetur quod non, quia uoluntas angeli non auertitur ab eo cui

81 ut ... 82 dicit] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, IV, 34 (134,1-4)

5 adheret. Ex hoc enim redditur a quibusdam causa obstinationis
 Demonum. Set uoluntas angelorum auersa est a Deo per culpam,
 ergo nunquam adhesit ei per gratiam.

[2] Item quod inest alicui a creatione inest naturaliter, set gratia
 non inest naturaliter, alioquin non esset gratia, quare et cetera.

10 [3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS De ciuitate
 Dei libro XII, quod Deus simul erat *condens naturam, et
 largiens gratiam*, et loquitur de angelis. Etiam HYERONIMVS Super
 Osee tertio capitulo, dicit quod *Demonnes in magna pinguedine
 Spiritus Sancti creati sunt*.

15 [4] Responso. Quanuis per certitudinem sciri non possit que pars
 questionis sit uerior (cum questio sit de facto) quod ex sola uoluntate
 diuina dependet. Tamen probabilius uidetur quod angeli fuerint in
 gratia creati. Tum quia ad hoc sunt Sanctorum auctoritates expresse,
 que in opponendo tacte sunt. Tum quia rationes satis probabiles hoc
 20 conuincunt. Non enim minoris dignitatis fuerunt angeli quam
 primus homo, set ille fuit in gratia creatus, ergo et angeli. Minor
 probatur, quia secundum Sanctos primus homo creatus fuit cum
 iustitia originali, set iustitia originalis non uidetur fuisse sine gratia
 concomitante, cum non potuerit amitti, nisi per culpam, quare et
 25 cetera.

5 a quibusdam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 7, 1, 2, sol. (183)

10 In ... 12 angelis] Thom., *S.th.*, I, 62, 3, sed contra; *Super Sent.*, II, 4, 1, 3, sed contra 1
 (137); cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 4, 1, 4, arg. 2 (273bD)

Avgvstinvs ... 12 gratiam] Aug., *De ciu. Dei*, XII, 9 (364,41-42)

12 Etiam ... 14 sunt] Thom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 3, sed contra 2 (137); cf. etiam Aeg.
 Rom., *Ord.*, II, 4, 1, 4, arg. 4 (274aA); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 4, q. unica, 2 (46b)

Hyeronimvs ... 14 sunt] cf. *Glossa Ord. Osee*, 3 (357)

15 Quanuis ... 18 auctoritates] cf. Thom., *S.th.*, I, 62, 3, resp.; *Super Sent.*, II, 4, 1, 1, sol.
 (138)

[5] Item sicut est in esse nature, sic suo modo debet esse in esse supernaturali, set sic est in esse nature, quod quecunque processu temporis producta sunt in se a principio fuerunt producta secundum suas rationes seminales, ut ponit AVGVSTINVS S u p e r G e n e s i . Ergo similiter in esse supernaturali, gloria que a processu temporis 30 creaturis rationalibus est data, fuit a principio secundum principium seminarium producta: set seminarium glorie est gratia, quare a principio fuit homini et angelo concreata. Si que autem auctoritates uidentur dicere quod prius fuerunt angeli creati quam haberent gratiam, exponende sunt de prioritare nature, non temporis. 35

[6] Ad primum argumentum dicendum quod uoluntas angeli non auertitur ab eo cui adheret per electionem, forsan autem angelus malus solum habuit gratiam in munere, uel in habitu, et nunquam in usu. Vnde nunquam per aliquem actum gratuitum uel meritorium Deo adhesit, etiam primum dubium est, ut infra patebit. 40

[7] Ad secundum dicendum, quod non omne quod inest a principio, alicui rei inest ei naturaliter, nisi ex necessitate sequatur principia nature. Alioquin unio humane nature ad suppositum *π142ra* diuinum fuisset homini Christo naturalis, quod falsum est, et similiter est de gratia angelis concreata. 45

26 Item ... 33 concreata] cf. Thom., *S.th.*, I, 62, 3, resp.

29 ut ... Genesi] Aug., *De Gen. ad litt.*, IX, 17 (291,20-23)

33 Si ... 35 temporis] cf. Thom., *S.th.*, I, 62, 3, ad 1; *Super Sent.*, II, 4, 1, 3, ad 1 (138); cf. etiam Alb., *Super Sent.*, II, 3, H, 12, sol. (85a); *Summa de creat.*, IV, 31, 1, sol. (504a-b) auctoritates] cf. e.g. Aug., *De Gen. ad litt.*, I, 3 (7,3-9)

<QVESTIO TERTIA

VTRVM BONI ANGELI FVERVNT PRESCII SVE CONFIRMATIONIS ET MALI
SVI CASVS>

[1] Tertio queritur, utrum boni angeli fuerint prescii sue
5 confirmationis, et mali sui casus.

[2] Responsio. Dicenda sunt duo. Primum est, quod tam boni,
quam mali angeli potuerunt per coniecturam credere se habituros
beatitudinem, set non per certitudinem. Secundum est, quod mali
nullo modo potuerunt casum suum prescire, neque per coniecturam,
10 neque per certitudinem.

[3] Primum patet, quia effectus qui non prouenit a causa
necessaria, set contingente, determinata tamen ad producendum
effectum magis quam ad oppositum potest in ea sciri per probabilem
coniecturam, set non per certitudinem, set beatitudo est huiusmodi,
15 quia non dependet a causa necessaria, set contingente scilicet libero
arbitrio determinato, tamen magis ad consequendum beatitudinem,
quam ad oppositum. Tum quia natura angeli est ad hoc creata, et
inclinationem habet, tum quia inerat adiutrix gratia, quare et cetera.

[4] Secundum patet, quia malum precognitum aut complacet
20 uoluntati aut non: Si complacet iam culpa inest, si non complacet,
pena inest. Set impossibile est ante primum peccatum angeli infuisse
culpam aut penam, quia primum implicat contradictionem.
Secundum uidetur importare iniustitiam (scilicet quod pena precedat
culpam) quare et cetera. Si autem reuelatus fuisset eis casus suus,

6 Primum ... 10 certitudinem] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 2, sol. (135-136); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 4, q. unica, 3 (47b)

19 Secundum ... 24 culpam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 4, 1, 2, sed contra 2 (135); Bonau., *Super Sent.*, II, 4, 2, 2, resp. (138a); Ans., *De casu diab.*, 21 (267,19-268,12)

accepissent utique dictum secundum comminationem et non 25
secundum prescientiam.

<DISTINCTIO QUINTA>

[1] *Post hec consideratio adducit inquirere.* Superius determinauit
MAGISTER de conditione uel qualitate angelorum. Hic uero
determinat de eorum conuersione. Et primo facit hoc. Secundo de
his que ad eorum conuersionem uel auersionem consequentur. 5
Secunda incipit in principio 8 distinctionis: Preterea sciri oportet.
Prima in duas. Primo inquit in generali causam conuersionis et
auersionis. Secundo specialiter causam conuersionis. Secunda ibi,
habebant enim omnes liberum arbitrium. Et ista diuiditur in tres.
Primo mouet questionem unam et istam prosequitur. Secundo 10
remouet quoddam inconueniens quod insequi posset. Tertio mouet
quandam aliam questionem et determinat. Secunda ibi: Ideo a
quibusdam dici. Tertia : Hic queri solet. Hec est diuisio lectionis in
generali.

[2] In speciali MAGISTER sic procedit, et proponit sic primo, quod 15
propter creationem angelorum quidam fuerunt conuersi, et Deo per
charitatem adherentes illuminati, alii uero non. Set Deum habentes
odio excecati sunt, et eorum a bono auersio ipsos iniustos, et aliorum
ad bonum conuersio iustos fecit. Postea dicit quod amborum fuit
libertas libero arbitrio per quam bonum uel malum elegerunt. 20

2 Post ... inquirere] Lomb., *Sent.*, II, 5, 1 (351,12)

Deinde querit utrum angelis, et ad quid antequam conuerterentur data sit gratia. Et ostendit quod non indigebant gratia iustificante, set gratia eos ad bonum promouente, per quam gratiam conuersi sunt. Postea dicit quod licet ista in potestate angelorum non esset, tamen
 25 aliquibus imputatur ad culpam, non quia conuersi non sunt, set quia auersi sunt, quia habere eam potuerant, et apposita eis fuisset si perstitissent. Item querit utrum in ipsa confirmatione beati fuerunt angeli, et utrum beatitudinem per gratiam tunc eis datam meruerunt. Primum istorum concedit. De secundo tangit duas opiniones:
 30 quidam enim dicunt ipsos mereri beatitudinem, quam in principio receperunt per obsequia que faciunt hominibus. Et hanc opinionem MAGISTER approbat, in his autem consistit tota sententia lectionis.

<QUESTIO PRIMA

AN ANGELVS PECCARE POTERAT>

π142rb

[1] Circa distinctionem queritur de duobus in generali, de auersione malorum angelorum et de conuersione beatorum. Circa primum
 5 queritur de duobus. Primum est, an angelus peccare poterat. Secundum est, an peccare potuerit in instanti sue creationis. Circa primum sic proceditur. Et uidetur quod angelus peccare non potuerit, quia digniores sunt angeli, quam corpora celestia, set in illis

non est malum secundum Philosophos, ergo nec in angelis, quare nec peccatum, cum omne peccatum sit malum. 10

[2] Item *nullus peccat appetendo illud quod uere bonum est*, sicut nullus erat cognoscendo quod uerum est. Set angelus nec appetiit, nec appetere potuit, nisi uerum bonum, ergo angelus non peccauit, nec peccare potuit. Minor patet, quantum ad hoc quod angelus non appetat, nisi uerum bonum, quia secundum Sanctos si perstitisset, 15 obtinisset illud quod appetiit, set non obtinisset, nisi uerum bonum, ergo illud solum appetiit.

[3] Item nec aliud appetere potuit quam uerum bonum, quia uoluntas non potest fieri nisi in cognitum, set intellectus angeli non potuit iudicare illud esse bonum quod non fuit bonum, alias fuisset 20 in eo error, qui non fuit ante peccatum, quare et cetera.

[4] In contrarium est quod dicitur I o b 4 : *In angelis suis reperit prauitatem*.

[5] Responso. Videnda sunt duo. Primum est an angelus peccare potuerit. Et secundum est quid appetendo peccauit, utrum, scilicet 25 equalitatem Dei appetiit.

[6] Quantum ad primum dicendum quod angelus potuit peccare et peccauit, sicut patet ex multis locis scripture sacre. Hec autem possibilitas probatur hoc modo, illa uoluntas potest peccare, que

9 Philosophos] cf. e.g. Arist., *Metaph.*, IX, 9, 1051a19-22; Auic., *Metaph.*, IX, 6 (498,6-7); Auerr., *Metaph.*, IX 19 (67,42-49)

11 Item ... 14 potuit] Thom., *S.th.*, I, 63, 1, arg. 4; cf. etiam *Super Sent.*, II, 5, 1, 1, arg. 4 (143)

15 secundum ... 16 appetiit] cf. Lomb., *Sent.*, II, 3, 4, n.11 (347,23-24); cf. etiam Ans., *De casu diab.*, 6 (243,17-28)

18 Item ... 21 cetera] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 1, 1, arg. 4 (143)

22 In¹ ... 23 prauitatem] cf. Thom., *S.th.*, I, 63, 1, sed contra; *Super Sent.*, II, 5, 1, 1, sed contra 1 (144); Aeg. Rom., *Report.*, II, 29 (248,10-11); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 4, 1, (T76ra; Vb48ra)

In² ... 23 prauitatem] *Iob*, 4,18

30 innitur regule, que potest deficere, quia si regula potest deficere et regulatum. Defectus autem uoluntarius est peccatum, set omnis uoluntas creata tam hominis, quam angeli est huiusmodi: ergo et cetera. Minor probatur, quia regula angeli, cui innitur uoluntas, est intellectus uel ratio, quia uoluntas non fertur nisi in illud quod est
35 sibi ostensum per intellectum et rationem. In omni autem intellectu creato potest incidere defectus, si non erroris uel ignorantie, tamen inconsiderationis.

[7] Iuxta quod est notandum quod in hoc *differunt error, ignorantia et inconsideratio. Error est falsum approbare pro ueris* secundum
40 AVGVSTINVM unde superincludit falsam existimationem. Ignorantia uero est nescientia eorum que quis potest et tenetur scire. Inconsideratio est solum defectus actualis cognitionis eorum que quis scit in habitu. In angelis uero quanuis non ponatur proprie error aut ignorantia ponitur tamen in eis inconsideratio, *quia non est*
45 *necessarium quod omnia que nata sunt circumstantionare et rectificare* uoluntatem angeli in his que occurrunt agenda uel eligenda subsint semper *sue actuali considerationi* precipue quantum ad ea que sunt supra naturam angeli, ut sunt ista per que tenditur in beatitudinem. Et propter defectum huius considerationis potuit defectus esse in
50 electione angeli dum appetit illud quod de genere suo erat bonum, non appetendo cum circumstantia sine qua non erat appetendum. Quod autem cum circumstantia illa non appetierit causa fuit quia de illa non considerauit, et sic ponitur angelus peccasse.

38 differunt ... 39 inconsideratio] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1 (216bC)

39 Error ... ueris] Thom., *De malo*, 3, 7, resp. (81,90-91); 8, 1, ad 7 (195,416-417); ex Aug., *Enchir.*, V,17 (57,23-24)

40 Ignorantia ... 41 scire] Thom., *De malo*, 3, 7, resp. (81,81-84)

43 In ... 47 considerationi] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 4, 1, 1 (216bD-217aA)

[8] Set contra hoc opponitur sic, sicut intellectus est uerus uel falsus in intelligendo, sic appetitus est bonus uel malus in appetendo. 55
 Set intellectus apprehendens unum eorum que in re coniuncta sunt non apprehendendo alterum non est falsus nisi iudicaret unum esse sine altero (tunc enim esset falsus dicendo composita non esse composita, set diuisa). Ergo similiter appetitus rationalis uel intellectualis appetens rem aliquam de se bonam non appetendo eam 60 cum sua circumstantia, puta appetens finem (scilicet beatitudinem) non appetendo ea que sunt ad finem (scilicet merita, uel aliquid tale) non propter hoc est malus, nisi appeteret habere finem excludendo ea que sunt ad finem. Set secundum positionem predictam angelus non appetit beatitudinem predictam absque meritis exclusiue, ita quod 65 uellet habere beatitudinem et uellet non habere merita. Quia cum uoluntas non feratur nisi in cognitum oportuisset quod angelus
 π142va existimasset illud fuisse possibile, et tunc fuisset error in cognitione angeli antequam pecasset, quod negatur a multis. Appetit ergo beatitudinem absque meritis non excludendo ea, set nihil 70 considerando de eis, et per consequens nihil de his uolendo, in hoc autem non uidetur esse aliqua culpa (ut dictum est) quare et cetera.

[9] Est dicendum ad hoc quod non est simile de intellectu et uoluntate, quia obiectum intellectus est natura rei, seu quidditas, plures autem quidditates rei quanuis coniungantur in uno supposito 75 secundum existentiam, semper tamen distinguuntur secundum suas naturas, sicut albedo et dulcedo in lacte, et ideo intellectus potest substantiam lactis comparare ad qualitatem dulcedinis non comparando ad qualitatem albedinis (quanuis illa sit in lacte, sicut est

80 dulcedo) eritque uera operatio non excludens alia, set solum non
 includens. Voluntas uero per actum electionis tendit in rem electam
 et uolitam ut habetur secundum quod est in re, cur uolens concedere
 lac (quia dulce) tendit ad habendum lac prout existit in re. Et quia
 quolibet res existit cum omnibus circumstantiis suis, ideo uoluntas
 85 per electionem tendit in rem cum omnibus suis circumstantiis,
 quanuis ratio tendendi sit solum una propter quod si circumstantia
 non considerata ponit in re uolita rationem mali, actus electionis erit
 malus, sicut si albedo in lacte esset conditio mortifera, eligens
 comedere lac dulce non considerando de circumstantia albedinis
 90 mortifere male eligeret et peccaret.

[10] Set adhuc insurgit alia dubitatio, quia secundum hanc uiam
 uidetur quod in angelo precedunt error proprie dictus malam
 electionem, quia uoluntas non eligit nisi quod intellectus debet esse
 bonum. Set intellectus dicens aliquid esse bonum ex consideratione
 95 rei secundum se uel consideratione unius circumstantie non
 considerando de aliis circumstantiis errat, cum *bonum* sit secundum
 DIONYSIVM *ex tota causa. Malum uero ex partibus* deficientibus, ergo
 uoluntas sequens talem intellectum habet errorem preuium, quia
 intellectus det illud esse bonum quod non est bonum, quia non
 100 habet circumstantias omnes ad bonitatem eius requisitas.

[11] Est dicendum ad hoc quod quando dicitur quod in intellectu
 angeli uel primi hominis non fuit error ante peccatum intelligendum
 est hoc de errore circa principale obiectum sicut error hominis
 interpretantis qui iudicat omnem fornicationem esse bonam propter
 105 uitiosum habitum intemperantie. Vel sicut est error incontinentis qui

96 bonum ... 97 deficientibus] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (298D-299A); ap. Thom., *De malo*, 4, 1, ad 13 (107,371-373)

licet habeat rectam rationem in uniuersali, tamen superueniente passione absorbente rectam existimationem prudentie iudicat hanc fornicationem esse bonam. Et talis error non fuit in angelo ante peccatum, ut iudicaret illud esse bonum quod ex suo genere malum est, quia in eo non fuit habitus uitiosus, nec passio absorbens rectum 110 iudicium intellectus. Set fuit error qui prouenit ex nescientia, uel ex inconsideratione alicuius circumstantie, quo errore iudicatur aliquid esse bonum et eligendum quod certe ex genere bonum est, et sic non erratur circa principale obiectum, set quia bonum ex genere non est bonum ex omnibus circumstantiis, quare nec simpliciter bonum, nec 115 simpliciter eligendum, ideo error talis prouenit ex nescientia, uel ex consideratione aliquarum circumstantiarum qui bene fuit in angelo, uel in primo homine ante peccatum, sicut probat argumentum, et sic patet primum.

[12] Quantum ad secundum scilicet an angelus appetiit 120 equalitatem Dei, dicitur communiter quod sic. Set illa equalitas exponitur tripliciter. Primo quod angelus appetiit proprie equalitatem cum Deo ita scilicet quod esset tante excellentie in potentia et scientia sicut Deus. Secundo exponitur quod proprie hoc non appetiit, set indirecte, quia appetiit Deo non subesse, et in hoc 125 quodammodo appetiit ei equari, sicut e contrario, ille qui est subditus alicui, non dicitur equari illi cui subiicitur. Tertio exponitur quod appetit equalitatem diuinam non aliquo dictionum modorum, set solum secundum quid et interpretatiue, ut postea exponetur.

121 illa ... 129 exponetur] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 5, 1, 2, sol. (146-147); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 5, 1, 3 (217aC); cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 5, 3 (89,8-90,29)

130 [13] Prima et secunda expositiones non possunt stare. Primo quia omne
 illud quod aliquis appetit appetitu simpliciter electiuo estimet possibile, quia
electio non est nisi possibilem. Set angelus non potuit estimare tanquam
 possibile quod equaretur Deo in potentia uel scientia, aut quod ei non
 subesset, cum angelus sit peditus cognitione naturali, per quam scit
 135 certitudinaliter, quod impossibile est creaturam equari creatori aut *π142vb*
 permanere nisi subsit diuine uirtuti, ergo angelus non potuit appetere
 appetitu simpliciter electiuo, qualis fuit appetitus quo petiit
 equalitatem Dei predictis modis. Item Sancti dicunt quod angelus
 illud appetiit, quod obtinisset si perstisset. Set angelus nunquam
 140 obtinisset equalitatem cum Deo in scientia uel potentia, aut quod
 non fuisset ei subditus: ergo id non appetiuit.

[14] Set tertio modo, scilicet secundum quid et intemperatiue
 appetiit equalitatem Dei, inquantum appetiit aliquam excellentiam
 non recurrendo ad Deum apud quem merendo, et ex cuius dono
 145 illam deberet obtinere. Set attendendam ad dignitatem suorum
 naturalium, non quidem quod estimasset illam excellentiam se posse
 habere sine Deo. Set quia non considerauit de modo habendi eam
 per meritum, et a Deo. Et in hoc potest dici quod appetiit
 equalitatem Dei, quia sicut Deus habet excellentiam non ab alio, sic
 150 angelus appetiit excellentiam, non appetendo eam ab alio.

130 Prima ... 141 appetiuit] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 5, 1, 3 (217aD-bC)

132 electio ... possibilem] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 1, 2, arg. 3 (146); ex Arist., *Eth. Nic.*, III, 5, 1111b20: transl. Grosseteste

138 Item ... 141 appetiuit] cf. Thom., *De malo*, 16, 3, arg. 3 (291,15-292,19); Alb., *Summa de creat.*, IV, 63, 1, arg. 7 (669b)

Sancti ... 139 perstisset] cf. supra, uu. 24-25

142 Set ... 150 alio] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 1, 2, sol. (147); cf. etiam *S.th.*, I, 63, 3, resp.; Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 5, 1, 3 (217bC)

[15] Potest etiam alio modo appetiuisse equalitatem Dei, inquantum aliquam excellentiam appetiit, que erat ei prohibita appeti, uel modo quo erat ei prohibita, non considerando de prohibitione, set solum considerando excellentiam sue nature. Et istum modum uidetur tangere *MAGISTER Sententiarum* 155 *Libro II* distinctione I ubi innuit quod sicut primo homini statim ut creatus fuit, data fuit lex cuiusdam obedientie scilicet quod non comederet de ligno uetito, ut dicitur *Gen. 2*. Sic angelis data fuit aliqua lex obedientie, ut pari lege uiuerent, qui ad parem gloriam facti erant. Vnde dicit, sic loquens de hominibus et angelis utriusque, 160 *regulam proponens obedientie, quatenus illi ab eo ubi erant non caderent* (scilicet angeli de celo) *et isti*, scilicet homines *ab eo ubi erant*, scilicet ad paradisum celestem *ascenderunt*, et secundum hoc sicut peccauit primus homo appetendo illud quod erat prohibitum, quod tamen non erat secundum se malum, non considerans act<?> de diuina 165 prohibitione, set solum considerans ut quadam benignitate uxori condescenderet, sic peccare potuit angelus appetendo quod erat prohibitum, uel modo quo erat ei prohibitum non considerans de prohibitione delectatus in consideratione proprie excellentie, quale autem fuit preceptum obedientie datum angelis nescimus, nec 170 scriptura loquitur. Et quia inobediens uidetur parificari se in precipienti, quia non uult ei subiici, ideo dicitur appetiuisse equalitatem Dei.

[16] Et est aduertendum, quod nisi poneremus in angelo aliam cognitionem quam naturalem forte non possemus ei attribuere talem 175

155 Magister ... 156 1] *Lomb., Sent., II, 1, 6 (335,23-25)*

158 ut ... 2] *Gen., 2,17*

161 regulam ... 163 ascenderunt] *cf. supra (Lomb., Sent., II, 1, 6 (335,23-25))*

inconsiderationem, quia sicut in speculabilibus per naturam ab angelo cognitis, angelus cognoscendo subiectum statim cognoscit hoc quod subiecto attribuitur, et ab eo remouetur propter quod non intelligit componendo et diuidendo, et intellecto principio statim
 180 intuetur conclusionem in ipso, et ideo non intelligit discurrendo. Sicut in eligibilibus et operabilibus ab angelo in puris naturalibus considerato, uidetur quod cognoscendo eligibile, uel agibile statim cognoscat omnes circumstantias, que possunt eum rectificare in eligendo. Et ideo non potest circa hec errare, nec peruerse eligere,
 185 sicut magis patebit **infra distinctione 23 questione 1.**

[17] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de corporibus celestibus et angelis, nisi quantum ad ea que sunt nature, quia quantum ad hoc sicut non est aliquod malum nature in corporibus celestibus, ita nec angelis. Set quia angeli sunt liberi
 190 arbitrii ideo in eis potest esse malum electionis, et precipue respectu supernaturalium, quod malum non potest esse in eis que non sunt liberi arbitrii, ut est celum.

[18] Ad secundum dicendum quod angelus peccauit appetendo illud quod non erat bonum ex omnibus circumstantiis, licet esset
 195 bonum ex genere: nec fuit in eo error circa appetibile, secundum se, quia illud erat bonum, set fuit solum error ex nescientia uel inconsideratione circumstantiarum qui error potuit esse, et necessario fuit in primo homine, et angelo ante peccatum.

<QVESTIO SECVNDA

π143ra VTRVM ANGELVS POTVERIT PECCARE IN PRIMO INSTANTI SVI ESSE>

[1] Ad secundum sic proceditur. Et uidetur quod angelus potuit peccare in primo instanti sue creationis, quia *peccatum opponitur merito*, set *natura intellectualis in primo instanti sue creationis potuit 5 mereri*, sicut ponitur de *anima Christi*, ergo pari ratione angeli in primo instanti sue creationis potuerunt peccare.

[2] Item *anima in primo instanti potest peccato maculari*, igitur et *angelus*.

[3] In contrarium arguitur, quia tam meritum quam peccatum non 10 uidentur posse esse sine actu libero, que uidentur requirere deliberationem. Set deliberatio non potest esse in instanti, ergo angelus non potuit peccare, uel mereri in primo instanti.

[4] Responsio. Fere omnes concordant in hoc, quod angelus in primo instanti sue creationis non potuit peccare. Huius autem uarie 15 assignantur rationes. Quidam dicunt sic, quod *cum uoluntas non sit, nisi boni apprehensi, non potest esse aliquid uolitum, nisi apprehendatur ut bonum, quod si uero bonum est, non est peccatum in appetitu, oportet ergo quod si peccatum est, quod sit uerisimile bonum, et non uere bonum. Set secundum AVGVSTINVM Contra Academicos non 20 potest aliquid iudicari uerisimile, nisi prius sit uerum cognitum, oportet ergo quod intellectus ueri boni precedat intellectum uerisimilis boni, et sic appetitus estimati boni (quo malus sit angelus) non potest sequi*

4 peccatum ... 7 peccare] Thom., *S.th.*, I, 63, 5, arg. 3; cf. etiam *De malo*, 16, 4, arg. 20 (297,160-164)

8 Item ... 9 angelus] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 3, 3, 2 (37a)

16 Quidam ... 25 bonum] Thom., *Super Sent.*, II, 3, 2, 1, sol. (110-111); etiam ap. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 4, 2 (T76va; Vb48vb-49ra)

20 Avgvstinvm ... Academicos] cf. Aug., *Contra Acad.*, II, 12, n.27 (32,1-33,20)

primum actum intellectus quo uerum bonum consideratur, set sequitur
 25 *secundum*, quo consideratur *uerisimile bonum*: et sic non potuit in
 primo instanti peccare.

[5] Hec autem positio uidetur in duobus peccare. Primo in hoc
 quod dicit quod in appetendo uerum bonum non est peccatum.
 Contingit enim peccare in appetendo uerum bonum, si appetatur
 30 absque debitis circumstantiis, ut dictum est in questione precedente.
 Isti etiam et omnes alii ponunt angelum peccasse appetendo uerum
 bonum. Secundo deficit in hoc quod uerisimile bonum non potest
 esse primum apprehensum ab intellectu, quia etsi uerisimile bonum
 non possit esse primum apprehensum sub ratione qua simile, quia
 35 uerisimile bonum non dicitur tale, nisi quia est uero bono simile, et
 ideo supponit cognitionem ueri boni. Iuxta qui sententiam loquitur
 AVGVSTINVS talem apprehensionem uerisimilis boni, eque parum
 sequitur electio mala, sicut apprehensionem ueri boni, quia ille qui
 apprehendit aliquid non esse uerum bonum, set simile uero bono
 40 eque parum decipitur, sicut ille qui apprehendit uerum bonum. Et
 ideo si peccatum in electione sequitur defectum in cognitione, ita
 parum potest peccare unus sicut alius.

[6] Aliud modus ponitur ad eandem conclusionem, quod angelus
 peccare non potuit in primo instanti sue creationis pro tanto, quia
 45 *operatio que simul incipit cum esse rei inest ab agente a quo habet esse,*
sicut moueri sursum a generante. Set actio peccati non potest angelo
 inesse a Deo creante angelum, quia actus defectuosus non est, nisi a
 defectuoso agente, sicut claudicatio naturalis tibie *ex debilitate uirtutis*
seminis. In Deo autem non possumus ponere alicuius uirtutis

43 Aliud ... 51 malam] Thom., *S.th.*, I, 63, 5, resp.; cf. etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 5,
 4 (90,6-9); *Corr. Corrupt.*, 22 (212,81-90)

defectum, quare impossibile est actionem que simul incipit cum esse 50
angeli creati a Deo esse malam.

[7] Nec ista ratio facit fidem, quia quod actio que simul incipit cum esse
rei attribuitur agenti uel generanti, et ei imputetur, hoc solum est in illis,
quibus non est principium actiuum, set solum passiuum, non liberum, set
naturale, sicut in grauibus et leuibus: quod patet, in eodem enim instanti in 55
quo est ignis, illuminat domum. Et hec actio attribuitur igni, in quo est
actiuum principium illuminationis, nec attribuitur generanti ignem, nisi
sicut cause remote. In grauibus et leuibus in quibus non est actiuum
principium sui motus, set solum passiuum oportet quod sit extra ipsa, et
hoc est *generans*, quod *est proxima causa per se mouens grauiam et leuiam*, ut 60
docet ARISTOTELES VIII Physicorum. In quibus etiam est solum
principium passiuum non naturale, set liberum: si tamen aliquod
principium passiuum liberum esse potest, actio non imputatur agenti, quia
generans non causat actionem, nisi dando tale principium, sicut generans
non mouet graue nisi dando ei formam grauitatis, ad quod sequitur 65
naturaliter esse deorsum, nisi sit aliquid prohibens. Set si principium datum
a producente sit liberum, actio sequitur ad tale principium per differentiam,
propter quod determinatio actionis ad hoc uel illud bonum uel malum non
π143rb debet imputari producenti, set rei producte, que ra- -tione libertatis sue
ad alterum se determinat, ergo in re solum actio attribuitur generanti 70
uel producenti, in quibus non est principium actiuum, set solum
passiuum, naturale et non liberum. Set in angelo uel est principium
actiuum sui primi uelle, uel si sit passiuum est tamen liberum, quare
primum uelle angeli non debet attribui Deo creati.

60 generans ... 61 Physicorum] Thom., *In Phys.*, VIII, 8, n.1035 (541b); ex Arist., *Phys.*, VIII, 4, 255b14-17, 19-21, 35-256a2

75 [8] Item quandocunque actio que simul incipit cum esse rei
 attribuitur generanti omnes actiones eiusdem rationis attribuuntur
 eidem, sicut patet in grauibus et leuibus. Non enim solum mouetur
 graue deorsum a generante quando fit graue, set etiam postquam est
 actu graue et est extra locum suum mouetur per se a generante, per
 80 accidens autem a remouente prohibens (ut docetur VII
 P h y s i c o r u m). Si igitur primum uelle angeli attribuitur Deo
 creanti, et omnia uelle sequentia attribuentur eidem, et ita nunquam
 poterit peccare angelus, quod est falsum.

[9] Ideo dicendum est aliter, quod angelus fuit creatus in gratia aut
 85 non. Si in gratia (cum impossibile sit eidem simul inesse gratiam et
 culpam) impossibile est quod in instanti sue creationis in quo habuit
 gratiam commisit culpam. Si autem non fuit creatus in gratia, aut
 habuit in sua creatione solam cognitionem naturalem, aut preter eam
 habuit aliquam superadditam. Si habuit solam cognitionem
 90 naturalem peccare non potuit, quia secundum eam non possumus in
 angelo ponere inconsiderationem aliquam, cum angelus nouerit
 plene omnes circumstantias cuiuscunque agibilis uel appetibilis ab eo
 intuendo naturam rei, ut supra dictum est. Si autem in sua creatione
 habuerit aliquam supernaturalem cognitionem idem sequitur, quia
 95 peccatum angeli non potuit esse nisi per in considerationem.
 Impossibile est autem et contradictionem implicans quod in instanti
 in quo data est angelo supernaturalis cognitio in eodem fuerit in eo

80 ut ... 81 Physicorum] *Auct. Ar.*, 2, 208 (157,39-40); ex Arist., *Phys.*, VIII, 4, 255b14-17, 19-21, 26-27, 35-256a2; Thom., *In Phys.*, VIII, 8, n.1035 (541b)

93 ut ... est] cf. supra, II, 3, 7; cf. etiam infra, II, 23, 1 et 3; II, 18, 2, 8

93 ut ... est] i. m.: distinctione 3 questione 8. In fr. (???) distinctione 23 questione 1 et 3. distinctione 18 questione 2 numero 8

inconsideratio. Nullus enim accipit nouam cognitionem, nisi per actuale considerationem, ideo et cetera.

[10] Set contra hoc potest sic instari, nonnullum peccatum est non 100
 assentire his que reuelantur per fidem; set si in instanti, in quo
 creatus est angelus proposita fuerint uel reuelata aliqua
 supernaturalia, pertinentia ad fidem (ut ponit predicta positio) potuit
 eis angelus non assentire, cum non essent ei manifesta, ergo non
 assentiendo potuit peccare, et hoc etiam peccatum peruenisset ex 105
 quadam nescientia angeli, qui ignorat quantum est de se ea quae sunt
 supernaturalia.

[11] Set illud non ualet, quia quod angelus non assentiret Deo
 reuelanti hoc esset, uel quia illud quod est reuelatum a Deo reputaret
 falsum, uel saltem dubium: utroque autem modo poneretur error in 110
 angelo. Quod esse non potest, quare tenendum est quod angelus in
 primo instanti peccare non potuit, quia non potuit in illo instanti
 habere inconsiderationem illam, que ad eius peccatum requiritur.
 Item patet tenendo aliam uiam scilicet quod angelus peccauit
 appetendo illud quod malum erat, non secundum se, set quia 115
 prohibitum, quia peccatum angeli prouenit ex inconsideratione, ut
 dictum est. Set angelus in instanti in quo creatus fuit, non potuit
 habere inconsiderationem de prohibitione sibi facta, quia uel tunc
 sibi facta fuit, et sic eam tunc agnouit, uel postmodum, et sic in
 primo instanti eam transgredi non potuit, quia nondum eam 120
 acceperat, quare et cetera.

[12] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de
 merito, et de peccato pro primo instanti creationis angeli. Quia enim

in primo instanti non potest esse in angelo defectus inconsiderationis
 125 respectu supernaturalium, respectu quorum potest peccare; ideo in eo
 non potest esse uitium electionis: potuit tamen in eo esse recta et
 libera electio, propter quam mereri potuit, si tamen aliquem actum
 liberum tunc habere potuit.

[13] Ad secundum dicendum quod non est simile de anima et de
 130 angelo, quia anima non contrahit peccatum originale ex personali
 electione, set ex unione sui cum corpore cui unitur statim quando
 creatur, peccatum autem angeli (si quod fuisset) prouenisset ex
 personali electione, que non potuit esse mala in primo instanti, quia
 non potuit tunc esse defectus inconsiderationis.

135 [14] Ad argumentum in oppositum licet sit pro conclusione ista,
 tamen assumit unum quod a paucis concederetur, uidelicet quod
 electio angeli bona uel mala sequatur deliberationem discursiuam, et
 requirentem tempus, quia sicut Deus aliqua libere uoluit ab eterno, *π143va*
 ita angelus ab instanti sue creationis aliqua libere uelle potuit: propter
 140 quod potuit mereri bene uolendo, et demereri si potuisset inesse pro
 illo instanti defectus inconsiderationis.

<QVESTIO TERTIA

VTRVM ANGELI BEATI SVAM BEATITVDINEM MERERVNT>

[1] Ad Secundum principale sic proceditur. Et uidetur quod angeli
 beati suam beatitudinem non meruerunt, quia meritum aut

3 uidetur ... 9 cetera] Thom., *S.th.*, I, 62, 4, arg. 1; cf. etiam *Super Sent.*, II, 5, 2, 2, arg. 4
 (153)

attenditur secundum operis difficultatem, aut ualorem, non 5
 secundum difficultatem, quia in angelis nulla fuit difficultas ad
 bonum, nec secundum operis ualorem, quia non mererentur per
 actum beatitudinis, qui est summi ualoris, quod tamen falsum est,
 quare et cetera.

[2] Preterea sicut gloria cadit sub merito condigni, sic prima gratia 10
 sub merito congrui. Set angeli non meruerunt primam gratiam de
 congruo, cum in ea creati fuerint, ergo nec gloriam de condigno.

[3] In contrarium est, quia premium respondet merito, sicut pena
 demerito, set mali angeli non habuerunt penam sine demerito, ergo
 nec boni habuerunt premium sine merito. 15

[4] Responsi<0>. Dicenda sunt tria. Primum est, quod beati angeli
 suam beatitudinem meruerunt. Secundum est, quod post unicum
 actum meritorium eam habuerunt. Tertium est, quod non solum
 natura, imo tempore meritum precessit premium.

[5] Primum patet, quia *in quibus inuenitur aliqua perfectio eiusdem* 20
rationis in eis est idem modus consequendi perfectionem illam. Set *in*
angelis et hominibus est beatitudo unius rationis. Vnde *A p o c.* 21
dicitur quod in celesti Hierusalem, mensura angeli, est mensura
hominis: ergo cum homines absque merito non perueniant ad
beatitudinem, uidetur quod nec angeli, et hoc concordat illi positioni, 25
que dicit quod peccatum angeli fuit in hoc quod beatitudinem absque
merito habere uoluit exponendo ut supra expositum est. *Non fuisset*

20 in ... 22 rationis] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 2, 2, sed contra 1 (153)

22 Vnde ... 24 hominis] Thom., *S.tb.*, I, 62, 4, sed contra; cf. *Apoc.*, 21,17

24 ergo ... 25 angeli] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 2, 2, sed contra 1 (153)

26 peccatum ... 29 cetera] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 2, 2, sed contra 2 (153)

27 exponendo ... est] cf. supra, II, 5, 1, A6 (209,111-210,143)

autem hoc ei peccatum si ordinatus fuisset ad consequendum beatitudinem sine merito, quare et cetera.

30 [6] Secundum patet sic, pronior est Deus ad remunerandum, quam ad condemnandum. Set mali angeli ex unico actu sunt eternaliter condemnati, ergo boni unico actu eternaliter remunerati. Ratio autem huius forsan esse potest, quia *gratia perficit naturam secundum modum nature. Est autem modus nature angelice*, quod
35 *statim per naturam* et unico actu suam *naturalem* beatitudinem *habeat*, ut dictum fuit supra distinctione 4 questione 1. Quare & per gratiam unico actu debet suam supernaturalem beatitudinem attingere. Sic enim ordinatur angelus ad supernaturalem beatitudinem per gratiam in ratione meriti, sicut ordinatur ad
40 felicitatem naturalem per suam naturam in ratione principii.

[7] Tertium patet sic, scilicet, quod meritum tempore precessit, et non solum natura, quia actus qui includunt oppositionem circa statum operantis non possunt esse simul, set actus premii et meriti includunt oppositionem circa statum operantis, quare et cetera.
45 antecedens probatur, quia mereri est illius qui est in statu acquirentis et tendentes ad terminum. Premium autem respicit statum non acquirentis, set iam possidentis, nec tendentis ad terminum, set iam existentis in termino: et hec manifeste opponuntur, ergo meritum et premium non possunt esse simul. Oportet ergo quod uel meritum
50 precedat premium, et sic habetur propositum, quod meritum sequatur premium, quod est absurdum, sicut est absurdum quod

30 pronior ... 32 remunerati] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 4, q. unica, 2 (46b)

33 gratia ... 36 habeat] Thom., *S.th.*, I, 62, 5, resp.

36 ut ... 1] cf. supra, II, 4, 1, A4 (196,41-53)

aliquis sit prius in termino, quam in uia. Si tamen in utroque debeat esse, quanuis dicat MAGISTER in littera contrarium.

[8] Quod aliqui confirmant dicentes, quod sicut miles equum a rege prius sibi datum meretur postea strenue militando, sic beati angeli beatitudinem 55 sibi a principio datam mererentur nunc per opera quibus nobis ex iussione diuina ministrant. Set illud non ualet, quia equus datus a rege, aut est datus gratuito et simpliciter, et tunc opera sequentia non sunt meritoria, quia nullus meretur id quod est suum. Set per meritum facit quilibet, ut aliquid efficiatur ei debitum, et per consequens suum quod ei prius non erat 60 debitum, nec suum. Set talia opera sunt quedam recompensatio gratitudinis
 π143vb de beneficio prius accepto. Si autem equus es- -set collatus militi sub tali pacto quod militaret pro rege, tunc per consequentia opera mereretur equum non quidem prius suum, set quasi accommodatum, ut per opera facta per equum, acquireret sibi equum. Beatitudo autem non 65 datur beatis sub aliqua conditione, set simpliciter. Et ideo per sequentia opera nullus meretur beatitudinem. Item beatitudo semel habita semper durat. Si igitur per opera sequentia aliquis mereretur beatitudinem, sequeretur quod meritum et premium essent simul, quod improbatum est. 70

[9] Ad primum argumentum dicendum quod ad rationem meriti tria concurrunt ualor operis, ut sit aliqua proportio inter meritum et premium si sit meritum de condigno. Libertas operantis et operatio sit in potestate operantis, quia talibus solum laudamur uel uituperamur, uel meremur, uel demeremur. Et quod operans sit in 75

53 Magister] Lomb., *Sent.*, II, 5, 6 (354,3-13); cf. etiam Alb., *Super Sent.*, II, 5, G, 7 sol. (124a)

54 aliqui ... 57 ministrant] Thom., *Super Sent.*, II, 5, 2, 2, sol. (153)

74 talibus ... 75 uituperamur] cf. Arist., *Eth. Nic.*, III, 1, 1109b30-31; Thom., *Super Sent.*, II, 39, 1, 1, sol. (985)

statu aliquid acquirendi. Quia per meritum aliquid efficitur debitum, quod prius non erat debitum. Beati ergo angeli nunc non merentur suam beatitudinem, quia non sunt in statu acquirendi eam. Set eam prius meruerunt concurrentibus tunc omnibus conditionibus que
80 sunt de ratione meriti, nunc etiam per eandem rationem mereri possunt aliquam accidentalem beatitudinem per opera, quibus nobis ministrant.

[10] Ad secundum dicendum quod sicut Deus creauit angelos in gratia, ita si uoluisset, potuisset creare eos sic in gloria, set non decuit.

85 Cum gloria sit finis operis meritorii, gratia autem principium.

[11] Argumentum etiam in oppositum deficit, quia contra iustitiam esset infligere penam sine demerito, set gratie est dare premium sine merito.